PARADOXA
M.T. CICERONIS AD M. BRVTVM,
Cum F. Syluii Ambiani Commentariis.



Væneunt Iodoco Bad. Ascen.
Cum priuilegio.

Franciſcus Syluius Nicolao Baudequino Iuriſc. Nogentino ac Duelliano Priori, & Canonico Pariſienſi S.


Vtumno proximo quũ vicinos noſtros quęrendę pecunię q̃ ſalutis tuendæ cura maior occupaſſet, eos peſtis iuaſit. Quo circa in re periculoſa, quę ſubito cõtigit, pręſens cõſiliũ adhibẽdum fuit. Quãuis enim ſchola noſtra in loco vrbis altiſſimo ad orientẽ poſita aerem habeat longe ſaluberrimũ, mihi tamen viſum eſt in pagũ aliquẽ ſecedere, eoq́ iuuenes meæ & eruditioni & cuſtodię cõmiſſos deducere: tũ quod aer quãto eſt ſalubrior, tãto aeri peſtilẽti ſi admiſceatur, facilius corrũpitur: tũ quod iuuentus magis timida eſt, & huic malo magis obnoxia. Quum igitur locũ quęreremus, quo nobis ex tãto periculo cõfugere liceret: nec inuenire tã cito poſſemus, quũ propter nimis magnã de huius vrbis peſte famam, tum quod iã alii inumerabiles ad pagos cõfugerãt, Oeconomo noſtro Gilberto Vallerſio venit in mẽtẽ habere te domũ Gentiliaci, quę nobis opportuna eſſet ꝓpter locĩ cõmoditatẽ & vrbis huius propinquitatẽ. Iſtã tuã domũ a te meo nomine poſtulans nullo negocio impetrauit. Qua in re beneuolentiã in me tuam oſtendiſti maiorẽ, teq́ amicum certũ in re incerta probaſti. Vt igitur gratũ me & memorẽ ſentias, Cõmentarios eos quos noctib⁹ cõtractiorib⁹ in Ciceronis Paradoxa, q̃ domi tuę enarrabã, ſcripſi, nomini tuo nũcupo: Eos comiter & amice vt accipias oro te atq́ obſecro. Bene

INDEX Commentariorũ Francisci Syluii in Paradoxa Ciceronis ordine literario.

A

B

C

D

FINIS.

CAutum est auctoritate subregia, ne quisq̃ Commentarios Francisci Syluii Ambiani editos aut edendos triennio post impressionem aut recognitionem, rursus imprimere audeat, aut aliubi impressos diuendere, sub pœna confiscationis librorum impressorum & arbitraria: præter eum cui eos commiserit imprimendos. Commisit autem hos & plures alios Iodoco Badio Ascēsio: tradito illi diplomate signato manu C.V. Parisieñ. Præpositi,

De la Barre.

MARCI TVLLII CICERONIS PARADOXA, AD MARCVM BRVTVM.



Aradoxa interpretatur Quintilianus libro.ix.inopinata:Cicero in libro Academicarum Quæſtionum quarto, admirabilia. παρὰ ẽm præter, & δόξα opinio Græce dicitur. Hæc autẽ quia diſcrepant ab opinione populari,admirabilia videntur. Ea autem a Zenone Cittieo, qui Stoicorum author fuit, originem habent. Cuius illæ ſententiæ atque præcepta ſunt apud Ciceronem in Oratione pro L. Murena, Sapientem gratia nunquam moueri: nunquam cuiuſq̃ delicto ignoſcere. Neminem miſericordem eſſe niſi ſtultum & leuem. Viri eſſe neque exorari neq; placari. Solos ſapientes eſſe,ſi diſtortiſſimi ſint, formoſos: ſi mendiciſſimi,diuites: ſi ſeruitutem ſeruiant, reges. Nos autem qui ſapientes non ſumus,fugitiuos,exules,hoſtes, inſanos denique eſſe dicunt.Omnia peccata eſſe paria. Omne delictum ſcelus eſſe nefarium. Nec minus delinquere eum,qui gallum gallinacium,quum opus non fuerit,q̃ eum qui patrem ſuffocauerit.Sapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere,nulla in re falli,ſententiam mutare nunquam. Iidem Stoici dicunt,vt ait idem libro quarto Academicarum, omnia, quæ vbique eſſent ſapientis eſſe: Neminem Conſulem, Prætorem,Imperatorem, neſcio an ne Quinqueuirum quidem niſi ſapientem, ſolum ciuem,ſolum liberum,inſipientes omnes, peregrinos, exules, ſeruos,furioſos.Denique ſcripta Lycurgi,Solonis, Duodecim tabulas noſtras non eſſe leges,ne vrbes denique aut ciuitates,niſi quæ eſſent ſapientum.Alia quoque ſunt apud Diogenem Laer-

Paradoxa quæ ſint.

Paradoxa multa.

tium in vita Zenonis Cittiei in libro. vii. quæ prudens omitto. Ex his tam multis Stoicorum Paradoxis Cicero in hoc libello sex tantum tractat: vt inde specimen præbeat alia quoque probari posse. Hecatonem Stoicum alia quoque multa probasse coniicere licet, quem idem Laertius eodem libro citat ex libro de Paradoxis tertio. Ad M. Brutum) Hic est Brutus, qui fuit vnus ex Cæsaris interfectoribus, cuius vitam Plutarchus scripsit. Cicero quantum hunc dilexerit, scribit ad M. Cęlium libro Epistolarum Familiarium secundo, Brutum, inquit, a me amari intelligis. Quid est causæ cur mihi non in optatis sit complecti hominem florentem ætate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis: Collegam meum præsertim, & in ipsa collegii laude & scientia studiosum mei. Idem ad Dolabellam libro. ix. Semper amaui M. Brutum propter eius summum ingenium, suauissimos mores, singularem probitatem atque constantiam.

Hecatonis Paradoxa.

M. Brutus.



NIMADVERTI BRVTE, ſæpe M. Catonem auunculum tuum, cum in Senatu ſententiam diceret, locos graues ex philoſophia tractare, abhorrentes ab hoc vſu forenſi & publico: ſed dicendo conſequi tamen, vt illa etiam populo probabilia viderentur. Quod eo maius eſt illi quàm aut tibi, aut nobis, quia nos ea philoſophia plus vtimur, quæ peperit dicendi copiam, & in qua dicuntur ea, quæ non multum diſcrepant ab opinione populari. Cato autem perfectus (mea ſententia) Stoicus, & ea ſentit, quæ non ſane probantur in vulgus: & in ea eſt hæreſi, quæ nullum ſequitur florem orationis, neque dilatat argumentum: ſed minutis interrogatiunculis, & quaſi punctis, quod propoſuit, efficit. Sed nihil eſt tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile: nihil tam horridum, tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione, & tanquam excolatur. Quod cum ita putarem, feci etiam audacius, quàm ille ipſe, de quo loquor. Cato enim duntaxat de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omni laude virtutis, de diis immortalibus, de charitate patriæ, Stoice ſolet, nullis oratoriis ornamẽtis adhibitis, dicere. Ego autem illa ipſa, quæ vix in gymnaſiis, & in ocio Stoici probant, ludens conieci in communes locos. Quæ quia ſunt admirabilia, contraque opinionem omnium, ab ipſis etiam παράδοξα appellantur.

Cato perfectus Stoic⁹. In vulgus. Hæreſis.

Paradoxã, .i. pręter opinionem.

Tētare volui, possent ne proferri in lucē, & ita dici, vt probarētur: an alia quædā esset erudita, alia popularis oratio. Eoq́ scripsi libētius, quod mihi ista παρά-δοξα, quę appellātur, maxime vidētur esse Socratica, lōgeq́ verissima. Accipies igitur hoc paruū opusculū lucubratū his iā cōtractioribus noctibus, quoniā illud maiorū vigiliarū mun⁹ in tuo nomine apparuit. Degustabis & hoc genus exercitationū mearū, quib⁹ vti cōsueui, cū ea quæ dicūtur in scholis θετικά, ad nostrum hoc oratorium transfero dicendi genus. Hoc tamen opus in apertū vt proferas, nihil postulo. Non enim est tale, vt in arce poni possit, quasi illa Minerua Phidię, sed tantum vt ex eadem officina exisse appareat.

In tuo nomine apparuit.

θετικά.

Allegoria.

Cato auunculus Bruti

CAtonē auūculū tuū) Seruilia Bruti mater, Catonis minoris soror fuit, vt ait Asconius Pędianus. Idē scribēs Plutarchus author est hūc Brutū referre genus paternū ad Brutum eū qui Tarquinios ex vrbe eiecit, & maternū ad Seruilium Halā a quo magistro Equitum Sp. Melius occisus est. Sententiā diceret) id est deliberaret. Senator enim sententiā dicit: Iudex autē dicit & fert. Publico) id est cōcionatorio, quod genus ad populum fit. Dicendo) .i. vi orationis & copia.

Dicere sententiam & ferre.

Consequi) id est obtinere. Etiam populo) id est nō solum Senatui, sed etiā populo. Probabilia) .i. verisimilia & credibilia. Quod eo maius) .i. magis arduū & difficile. Ea philosophia) Academica, aut Peripatetica, quāuis vterq́ Academicus fuerit, sed non lōge differunt Academici & Peripatetici. Quę peperit dicēdi copiā) Quāuis multa sint philosophiæ genera, tñ de philosophia morali pręcipue locus hic intelligitur. Quod genus semper oratoris fuit. Carneades Academicus, vt ait Cicero libro de Oratore primo, significabat eos qui rhetores nominarentur, & qui dicendi præcepta traderent, nihil plane tenere: neque posse quenquam facultatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inuenta didicisset. Idem de Claris Oratoribus, Peripateticorū, inquit, & Academicorū cōsuetudo in ratione dicēdi talis est, vt nec perficere ora-

Philosophia quātū cōferat oratori.

torem possit ipsa per sese, nec sine ea orator esse perfectus. Paulo post commēdat Platonis vbertatē, vim Aristotelis, suauitatē Theophrasti.

Quæ non multum discrepant ab opinione populari) Peripatetici & Academici corporis & fortunę bona esse dicunt. Negant Stoici quicq̄ esse bonum præter virtutē. Vitia esse paria hi dicunt, illi negant. Aliaq; innumerabilia sunt, quibus non conuenit inter Stoicos & Academicos & Peripateticos. In quibus hi dicūt ea, quæ non multum discrepant ab opinione populari. Et ea sentit) Stoici aliter in scholis de virtute disputant, aliter domi viuūt. M. autē Cato homo ingeniosissimus authoribus eruditissimis præceptoribus inductus Stoicorum præcepta arripuit: neq; disputandi causa, vt magna pars, sed ita viuendi, vt ait Cicero pro L. Murena, Non igitur aliter sentit Cato ac disputat. In ea hæresi) id est in ea secta, Stoicorum scilicet. Est autem vocabulū græcū ἀπὸ τοῦ αἱρέεσθαι, id est ab eligendo. Quæ nullum sequitur florem orationis) Stoici enim sunt inelegantes, q̄q̄, vt ait Cicero libro de Finibus quarto, scripsit artem rhetoricam Cleanthes, Chrysippus etiam: sed sic, vt si quis obmutescere concupierit, nihil aliud legere debeat. Neq; dilatat argumentum) id est dicendi copia non dilatat materiā, vt Peripatetici & Academici faciūt. Catonem tamen eloquētem fuisse Cicero de Claris oratoribus tradit. Cuius verba pluscula huc ascribo, quod ad hanc rem pertineāt, Hoc, inquit, idem in nostris contingere intelligo, q̄d in Gręcis, oēs vt fere Stoici prudētissimi in disserendo sint, & id arte faciant, sintq; architecti pene verborum: iidem traducti a disputando ad dicendum, inopes reperiantur. vnū excipio Catonem, in quo perfectissimo Stoico summā eloquentiā nō desiderem, Stoicorū enim in dialecticis omnis cura consumitur. Vagum illud orationis & fusum & multiplex non adhibetur genus. Cato autē habet a Stoicis id quod ab illis petendum fuit: sed dicere didicit a dicendi magistris, eorūq; moreq; se exercuit. Sed minutis interrogatiūculis) Solent enim Stoici breuiter perstringere argumenta, vt ait Cicero libro Tusculanarū Quęstionum tertio. Et vt idem ait libro de Finibus. iiii. Pūgūt quasi aculeis, interrogatiunculis angustis, quibus etiā qui assentiūtur, nihil commutantur animo, & iidē abeūt, qui venerāt. Horū astrictior est oratio, vt ait Cicero de Claris oratoribus, aliquātoq; contractior, q̄ aures populi requirunt. Eodē authore lib. de Oratore. iii. orationis genus Stoici habēt fortasse subtile, & certe acutū, sed vt in oratore exile, inusitatū, abhorrēs ab auribus vulgi, obscurū, inane, ieiunū, attamen eiusmodi, quo vti ad vulgus nullo modo possis. Argumēta Stoicorū idē libro de Oratore. i. laqueos disputationū & interrogationū appellat. Nec oēa eorū argumēta sunt per interrogationem, sed certe acuta sunt & breuia. Quale est illud libro Tusculanarū. 3. Queādmodū misericordia ægritudo est ex alteri⁹ rebus

Stoicorum disputatio & vita.

M. Cato Stoicus.

Hæresis.

Stoici inelegantes.

Catonis eloquētia.

Stoicorum interrogatiunculæ.

Stoicorū argumenta.

aduersis: sic inuidentia ægritudo est ex alterius rebus secundis. In quē igitur cadit misereri, in eundem etiā inuidere: non cadit autem inuidere in sapiētem, ergo ne misereri quidē. Quod si hoc ęgre ferre sapiens soleret, misereri etiā soleret. Abest ergo a sapiente ægritudo. Hęc, inqt, sic dicūtur a Stoicis, cōcludūturq; contortius. Itē in libro de Finibus. 3. Consectari me, inquit, Stoicorū breuia & acuta delectat. Cōcludūtur igiť eorū argumēta sic, Quod est bonū, omne laudabile est. Quod autē laudabile est, omne est honestū. Bonū igiť quod est, honestū est. Quasi punctis) .i. rebus breuissimis. Pūctum eñ quod breue admodū est dicitur a pungēdo. Inde pūctū tēporis Cicero sępe, & pro Murena, interpūctiones clausulas breuissimas appellat. Res, inquit, sunt paruę, prope in singulis literis & interpūctionibus verborū occupatę. Et quia spinę pūgūt, orationis genus quo Stoici vtuntur, Cicero appellat spinosum, vt libro de Oratore. 1. Sed hęc erat spinosa quędam & exilis oratio, lōgeq; a nostris sensibus abhorrebat. Libro de Finibus. 3. Stoicorum non ignoras q̄ sit subtile vel spinosum potius dicēdi genus. Eadē ratione idē libro Academicarū. 4. Stoicorū dumeta appellat, Quū sit, inquit, campus, in quo exultare possit oratio, cur eā in tātas angustias & in Stoicorū dumeta cōpellimus? Efficit) .i. probat & concludit. Qua in re id verbū sępe & a Quintiliano & a Cicerone diciť. Sed nihil tā incredibile) Sibi facilius esse q̄ Catoni facere, vt hęc Paradoxa viderentur probabilia, significat.

Pūctum & interpunctiones.

Spinosum genus orationis.

Dumeta Stoicorū.

Dicendo) .i. vi & copia orationis. Feci etiā audacius) Nā maiora aggressussum q̄ Cato. De magnitudine animi) .i. de magnanimitate. Vt in virū sapiētē nō cadere dolorē, nō cadere ægritudinē. De cōtinētia) vt virū bonū voluptate non frangi. De morte) Vt mortē malū nō esse. De omī laude virtutis) Vt sine virtute beate viui nō posse, cū illa posse. Stoice solet nullis oratoriis) In codice antiquo inuenio scriptum, Stoice solet oratoriis ornamētis &c. Quę lectio si vera esset, cōueniret cū eo, Feci etiā audacius: sed ab illo discreparet, In ea hęresi est, quæ nullā sequiť florē orationis &c. In gymnasiis & in ocio) .i. in scholis & disputationib⁹. Ludens) vt se audacius fecisse ostēdat. In cōmunes locos) qui sunt generales citra vllū psonarū cōplexū. παράδοξα appellanť. Nā παρὰ pter & δόξα opinio gręce diciť, vt ante dixi. Vt pbarenť) .i. vt crederenť. Erudita) qua eruditi inter se vterenť, aut in scholis, aut in circulis, aut scribēdo. Maxime videnť esse Socratica) Authore Cicerone lib. Academicarū. 4. sunt Socratica pleraq; mirabilia Stoicorū, quę Paradoxa nominanť. Idē cōtēdit oīa nō esse Socratica. Nūq̄ eñ diceret Socrates sapientes solos reges, solos diuites, solos formosos &c. Socrates aūt nihil vnq̄ scripsit, sed eius sententiam Plato scriptis mandauit, vt est apud Ciceronē lib. de Oratore. 3. Zeno q fuit Stoicorū author fuit post Socratē. Ne credas paradoxa hęc Socratica post Zenonē nata esse. Cōtractioribus) .i. minorib⁹. Q d eñ cōtrahitur fit min⁹. Inde cōtractio

Paradoxa Socratica.

Cōtractiores noctes.

frōtis,& cōtractio animi a Cicerone sępe dicit. Trahere vero aut extrahere cōtrariū est.i.ãpliare dilatare.vt extrahere tēp⁹ aut negociū ꝓ differre apud T.Liuiū sępe licet inuenire. Illud maiorū vigiliarū mun⁹) Quęstiones Tusculanas intelligit. Quãtū Cicero M.Brutū dilexerit,ãte dixim⁹. Multos ei Cicero ex suis libros nuncupauit,vt libros quinqꝫ de Finib⁹ bonoꝝ & maloꝝ.libros tres de natura Deoꝝ,librū quẽdã Epistolarū,librū de Oratore,libro de Claris oratorib⁹,hūc librū Paradoxoꝝ,& Quęstiones Tusculanas. In Tusculanis Stoicorū disciplinã sectat⁹ est: in qb⁹ tã diligēs Cicero fuit,tã accurat⁹,vt nullū existimē in philosophia librū ab eo scriptū esse,in quo magis vigilauerit,in quo vires ingenii,atqꝫ eloquētiã maiorē ostēderit. Fuit igitur hoc munus maiorū vigiliarū. lōgiorib⁹ & plurib⁹ noctib⁹ lucubratū. θετικά).i.positiua. & vt vulgo appellãt,positiones,quū videlicet ponit de quo quis disputare velit. In aptū vt referas).i.vt edas & publices. Tale).i.ita perfectū. In arce).i.in publico,in loco eminētiore. In vrbib⁹ eñ arces appellant,q̃ vulgo castella dicunt. Minerua aūt Athenis in arce colebat. Quasi illa Minerua Phidię) Phidias statuarius diis q̃ hoīb⁹ efficiēdis melior artifex tradit. In ebore vero lōge citra æmulū,vel si nihil nisi Mineruã Athenis,aut Olympiū in Elide Iouē fecisset. Cuius pulchritudo adiecisse aliqd etiã receptę religioni videtur: adeo maiestas opis deū æquauit. Author est Quintilian⁹ lib.11. Cicero in libro de Oratore ad Brutū negat Phidiæ simulacris quicq̃ in illo genere videri perfectius. Hic speciē sui similē in Mineruę clypeo inclusit, quū inscribere non liceret, vt ait Cicero libro Tusculanarū Quęstionū.1. Eã si quis dissoluisset, collocationis vniuersam speciē sustulisset, vt ait idē libro de Oratore ad Brutum. Ex eadē officina) ex quo exiit illud maiorum vigiliarum munus. Persistit autē in Phidiæ translatione.

M. Bruto multos libros Cicero nūcupauit. Tusculanæ quęstiones.

Phidias eiusqꝫ Minerua & Iupiter.

ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν, id est,

Quod honestum sit, id solum bonum esse.

VEreor ne cui vestrum ex Stoicorum hominum disputationibus,non ex meo sensu deprōpta hęc videatur oratio. Dicam tamen quod sentio, & dicam breuius,q̃ res tanta dici possit. Nunq̃ me hercle, ego neqꝫ pecunias istorū,neqꝫ tecta magnifica , neqꝫ opes, neqꝫ imperia , neqꝫ eas, quibus maxime adstricti sunt voluptates , in bonis rebus,aut expetendis esse duxi. Quippe cū viderem homines rebus his circūfluētes,

Propositio. Pecunia & id gen⁹ nō est in bonis connumeranda.

ea tamen desiderare maxime,quibus abundaret.Neq; enim vnq̃ expletur,nec satiatur cupiditatis sitis: neq; ea solum quæ habent,libidine augendi cruciatur,sed etiam amittẽdi metu. In quo equidem continentissimorum hominum maiorum nostrorum sæpe requiro prudẽtiam. qui hæc imbecilla , & commutabilia pecuniæ membra , verbo bona putauerunt appellanda,cum re ac factis longe aliter iudicassent.Potest ne bonum cuiq̃ malo esse? an potest quisq̃ in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atqui ista omnia talia videmus , vt etiam improbi habeant , & obsint bonis. † Quālibet irrideat (si quis vult) plus apud me tamẽ vera ratio valebit,q̃ vulgi opinio.Neq; ego vnq̃ bona perdidisse dicam,si quis pecus, aut supellectilem amiserit.Nec non sępe laudabo sapientem illũ Biantem (vt opinor) qui enumeratur inter septem. Cuius quidam cum patriam Prienen cepisset hostis , cæteriq; ita fugerent , vt multa de suis rebus asportarent, cum esset admonitus a quodam , vt idem ipse faceret,Ego vero,inquit,facio: nam omnia mea mecũ porto.Ille hæc ludibria fortunę,ne sua quidem putauit,quæ nos appellamus etiam bona.Quid est igitur quęret aliquis,bonum?Si quid recte fit,& honeste,& cum virtute,id bene fieri & recte dicitur.Et quod rectum & honestum, & cũ virtute est, id solum opinor bonum. Sed hæc videri possunt obscuriora,cum sine appositione exemplorũ lentius disputantur. Vita atq; factis illustranda sunt summorum virorum hęc,quæ verbis subtilius q̃ factis disputari videntur . Quæro enim a vobis , nũ vllã cogitationẽ habuisse videatur

† Quãobrẽ licet.

Biantis responsum.

Quid sit bonum.

hi,qui hanc Remp.tam præclare fundatam nobis reliquerunt,aut auri,aut argenti auaritiam,aut amœnitatum ad delectationem,aut supellectilis ad delitias, aut epularum ad voluptates?Ponite ante oculos vnũquemq; Regum. Vultis incipere a Romulo? vultis post liberam ciuitatem ab his ipsis qui liberauerunt eam?Quibus tandem gradibus Romulus ascendit in cælum?Iis ne quæ isti bona appellant?an rebus gestis atq; virtutibus?Quid autem Numa Põpilius? minus ne gratas diis immortalibus capedines ac fictiles vrnulas fuisse,q̃ delicatas aliorum pateras arbitramur? Omitto reliquos.Sũt enim omnes pares inter se, prę ter Tarquinium Superbum. Brutum vero si quis roget,quid egerit in patria liberanda?Si quis item reliquos eiusdem consilii socios, quid expetiuerint, quid secuti sint?num quis existat,cui voluptas,cui diuitię, cui deniq; præter officium fortis & magni viri quicq̃ aliud propositũ fuisse videatur?Quę res ad necẽ Porsenæ Q.Mutiũ impulit sine vlla spe salutis suæ?Quæ vis Horatiũ Coclitem contra omnes hostiũ copias tenuit in ponte solum?Quę vis patrem Decium?Quę filiũ deuouit,ac immisit i armatas hostiũ copias?Quid cõtinentia C.Fabricii?Quid tenuitas victus M.Curii sequebatur?Quid duo propugnacula belli Punici C. & P.Scipiones,qui Carthaginensiũ aduentũ corporibus suis intercludendũ putauerũt?Quid Aphricanus minor?quid maior?quid inter horũ ętates interiectus Cato?Quid innumerabiles alii? Nã domesticis exemplis abũdamus.†An cogitasse quicq̃ putamus in vita sibi expetendũ,nisi quod laudabile esse,& præclarum

†An putabim' quẽq̃ horum cogitasse q̃ q̃ in vita sibi expetẽdum.

videretur? Veniãt igitur irrisores huius orationis ac sententiæ, & iam vel ipsi iudicent, vtrum se horum alicuius, qui marmoreis tectis, ebore, & auro fulgentibus, qui signis, qui tabulis, qui celato auro & argẽto, qui Corinthiis operibus abundãt: an C. Fabricii, qui nihil eorum habuit, nihil habere voluit, se similes esse malint? Atq; hæc quidem quę modo huc, modo illuc transferuntur, facile adduci solent, vt in rebus bonis esse negent. Illud tamen arcte tenent, accurateq; defendũt, Voluptatem esse summum bonum. Quę quidem mihi vox pecudum videtur esse, non hominum. Tu cum tibi, siue deus, siue mater (vt ita dicam) rerũ omnium natura dederit animum, quo nihil est præstãtius, neq; diuinius, sic te ipse abiicies atq; prosternes, vt nihil inter te atq; inter quadrupedẽ aliquid putes interesse? Quicq̃ ne bonũ est, quod non eum, qui possidet, meliorem facit? Vt enim quisq; est maxime boni particeps, ita & laudabilis maxime. Neq; est vllũ bonum, de quo non is, qui id habeat, honeste possit gloriari. Quid autem est horum in voluptate? meliorem ne efficit, aut laudabiliorem virum? An quisquam in potiundis voluptatibus gloriando se & prædicatione extollit? Atqui si voluptas (quę plurimorum patrocíniis defenditur) in rebus bonis habenda non est: eaq; quo est maior, eo magis mentem e sua sede & statu dimouet, profecto nihil est aliud bene & beate viuere, nisi honeste & recte viuere.

Voluptas nõ est summũ bonũ.

ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθὸν .i.

QVod solũ honestũ bonũ) Hoc Paradoxon Stoicorũ est. Quis enĩ Academici & Peripatetici tria bonorum genera esse dicãt, bona fortunæ, corporis, & animi, & summũ bonũ in bonis animi esse

Honestum solum id qd bonũ.

dicant, Stoici tamen fortunę & corporis bona esse negāt: nec vllū bonū esse dicūt, prętor bonū animi. i. honestū & virtutē. Idq; solū bonū esse dicunt, vt vitiū solū malū. Beatū esse dicūt eū qui virtutē habeat, q̄uis careat omnibus bonis fortunæ & corporis (quæ cōmoda ipsi, nō bona appellāt) q̄uis sit in Tauro Phalaridis. Nō ex meo sensu). i. nō ex animi mei sententia. Deprōpta hæc) In antiquo codice inuenio scriptū dispu tata, non deprōpta. Pecunias istorū) Nomine pecuniarū diuitię intelliguntur, quę sunt in pecoribus, prædiis aliisq; rebus eiusdē generis. quo modo a Iurisperitis accipi alio loco docuim⁹. Imperia). i. magistratus. Pecuniæ quę sint.

Quibus maxime astricti sunt). i. quas sequunt̄, tanq̄ si iis alligati essent.

In bonis reb⁹ esse numerādas duxi) In antiquo codice scriptū est, in bonis rebus aut expetēdis esse duxi. His rebus circūfluētes) In eodē codice antiquo ęque bene scriptū est, q̄bus reb⁹ circūfluētibus. i. affluētib⁹ vndiq;. Nec satiat̄ cupiditatis sitis) Diuitiarū, imperiorū, voluptatū cupiditas, quāto maior copia est, tāto magis crescit: tantū abest vt minuat̄. Quēadmodū hac ætate profundā sacerdotiorū cupiditatē multitudine augeri videmus. Voluptatū sitis abundātia quantū crescat Xerxes Persarū Rex ostēdit, qui opū regiarū ostētatione eximia eo vsq; luxuria gauisus est, vt edicto præmiū proponeret qui nouum aliquod genus voluptatis reperisset. vt ait Valerius Maximus lib. ix. De luxuria. Cupiditatis sitis) Vnde facta trāslatio sit, ignotū non est. Bona autem potio nō est, quæ sitim non satiat, sed quæ tanto magis augeat sitim, quanto sumatur frequentius. Legati Scytharū dictū illud inscitum non est, Quanto plus biberint, tanto magis sitire Parthos. Ab efficientibus argumentum est. Neq; ea solum quæ habent) In codicibus aliis scriptū est, neq; ea solū qui habēt. Libidine). i. cupiditate. Cōtinentissimorū). i. opes, imperia, voluptates cōtemnentiū. Requiro prudētiā) Prudētes eñ mi hi, inq̄t, visi nō sunt, q̄ bona appellarint ea quę re ipse bona esse nō crederēt. Romani enim veteres paupertatis studiosi erāt, imperia intuiti accipiebāt, voluptates aspernabātur, quo tēpore Asiaticę deliciæ Romam nondū allatæ fuerāt. Cōmutabilia). i. incerta & fortuita, quę in manu fortunę sūt, & facile, vt fortuna ipsa, mutari possūt. Pecunię mēbra) Nā vt dixi, pecunię noīe intelligūtur pecora, prędia, aliaq; eiusdē generis, q̄ possidētur, quorū multa sunt, quasi mēbra. Bona putauerūt appellāda) Nā bona etiā appellauerunt. Potest ne bonū cuiq̄ malo esse) In codice antiquo aliter scriptū iuenio, sed eadē sentētia. Ita eñ scriptū est, Potest ne cuiq̄ bonū nisi bono iesse? Ab efficiētib⁹ aūt arguit hæc bona nō esse. His autē reb⁹ multi fiūt deteriores. Authore Quintil. lib. iii. diuitiæ, potētia, & gratia quū plurimū viriū dēt vtrāq; partē certissimū faciūt morū experimētū. aut eñ meliores ,pp̄ter hęc, aut peiores sum⁹. Etiā impro bi habeāt). i. nō solū boni, sed etiā improbi pecunias & imperia habeant. Requiro prudētiā. Bona fortunę.

Improbi sunt diuites. Pauperes boni.

Scribit Aristoteles libro Problematū.xxix.vsu venire, vt improbi sint diuites, propterea quod fortuna cæca sit. itaq;, vt ait Pacuuius, nihil cer nat quo sese applicet. Idem scribit eodem libro paupertatē apud bonos, non apud improbos habitare. Nam, vt ait author Rhetoricorū ad Herennium libro secundo, Omnes qui in paupertate sunt malunt maleficio parare diuitias, q̄ officio paupertatem tueri. Et obsint bonis) Quātum diuites & honorati bonis iis qui pauperes obsint, licet vnicuiq; cōsiderare. Non ignoramus, quantum odiosi sint Pōtificibus ij qui in scholis diu versati iuuentutē erudierunt, eamq; meliorem reiq; publicæ vtiliorem reddiderunt. Eos enim coquis suis & mulionibus in conferēdis sacerdotiis, quorum dispensatores sunt, longe postponunt. Si quis pecus) Pecus & pecudem ita distingunt grammatici, vt hoc speciale nomē sit, illud generale, q̄uis perpetuum non sit, & pecus pro vno animali sæpe dicant Latini. Pecoris autem aut pecudis nomine non quadrupedes modo, sed etiam pisces & apes significari No. Marcellus scribit.

Pauperes diuitibus odiosi. Pec⁹ quid, sit.

Vt opinor) Nescit certo Cicero an fuerit Bias, qui id responderit. Diogenes Laertius libro primo scribit Prienem Thebanorum coloniam, quum a Rege Halgatte obsideretur, Biantis consilio liberatam fuisse. Sed hanc Ciceronis sentētiam Valerius Maximus secutus est libro. vii. de sapienter dictis aut factis. Asportarent) ne sibi perirent, deportarēt.

Priene.

Asportare

Asportare autem dicitur pro eo quod est alium in locū longe causa vtilitatis suæ aut voluptatis deportare, etiam cum iniuria eorum vnde res asportatur. Vt actione in Verrem. vi. Adsunt Segestani clientes tui, socij populi Ro. atq; amici, certiorem te faciūt, P. Africanū Carthagine deleta simulacrum Dianę maioribus suis restituisse, idq; apud Segestanos eius Imperatoris nomine positum ac dedicatum fuisse. Hoc Verrem demoliendum & asportandum, nomenq; omnino P. Scipionis delendum tollendumq; curasse. Itemq;, Qua Ditē patrem ferunt repente cum curru extitisse, abreptamq; ex eo loco virginē secum asportasse. Asconius Pedianus enarrās illud Ciceronis ex Diuinatione, Illi quidem, vt est hominum genus minus acutum & suspitiosum, non te ex Sicilia literas in Verrem deportare velle arbitrantur, sed cum iisdem literis illius Prætura & tua Quæstura consignata sit, asportare te velle ex Sicilia literas suspicantur. Hoc, inquam enarrās Pædianus, Asportare aliquid, inquit, est vt intereat: deportare, vt mutet locum. Omnia mea mecū porto) Pectore quidem, vt ait Valerius, illa gestabat, non humeris, non oculis visenda, sed æstimanda animo. Quæ domicilio mentis inclusa, nec hominum nec deorum manibus labefactari queunt: & vt manētibus prę sto sunt, ita fugientes non deserunt. Ludibria fortunę) quibus fortuna solet ludere eos qui habeant, quum eripit. Sine appositione exemplorum) Id est quum exempla non apponuntur ad probandum. Exemplū

Ludibria fortunæ.

Græci appellant παράδειγμα,quo nomine & generaliter vsi sunt in omni similium appositione,& specialiter in iis,quæ rerum gestarũ authoritate nitũtur vt ait Quintilianus lib.v.Eodem authore lib.iii. Exempla plurimum in consiliis possunt, quia facillime ad consentiendũ homines ducuntur experimentis.Sunt autem exempla velut experimenta,& velut quædam futurarũ rerum imagines. Lentius) .i.crassius,& minus,vt ita dicam,efficaciter,quod minus persuadeant. Vita atq; factis) In codice antiquo melius scriptum est.Vita igitur atq; factis. Subtilius q̃ satis est).i.nimiũ subtiliter.Quam satis est,legitur melius,q̃ vt in nonnullis codicibus scriptum est,q̃ factis. Quibus tandẽ Romulus &c.) Romulum vt deum coluerunt Romani veteres. de eo illud Ennii est,Romulus in cęlo cum diis gẽitalibus æuũ Degit. Aeuũ eñ proprie æternitatis est,quæ non nisi in deos venit.Vt ait Seruius lib.Commentariorum.vi.Qua ratione a Iulio Proculo persuasi fuerunt.Plutarchus scribit fusius in vita Romuli. Iis ne,quę isti bona appellant).i.magna ne vi auri & argenti,supellectile,amœnitatibus,epulis? Numa Pompilius) Qui religionem Romæ instituisse dicitur. Capedines) Capedo fictile vas erat,quo in sacrificiis vtebantur a capiendo dictum,quod amplum & capax esset.Vrnulis quoq; fictilibus in sacrificiis ex Numę Pompilii instituto vtebantur.Authore Plinio capite.xii.libri.xxxv.Numa Rex septimum collegium figulorum instituit.quo in loco plasticen.i. figlinam artẽ laudat maxime.Ea enim deorum simulacra,alia vasa ad sacrificandum,alia ad vsum hominum, alia ad mortuorum sepulturã fingi ostendit. Delicatas).i.aureas,argenteas,murinas aut crystallinas. Delicatas templorum pateras insectans Persius,Dicite,inquit, Pontifices in templis quid facit aurum?Patera quid sit M.Varro explicat illis verbis libro de lingua latina primo,In poculis,inquit,erant pateræ: eo quod pateant latine ita dictæ.Hisce etiam nunc in publico conuiuio antiquitatis retinendæ causa,quum magistri fiunt,potio circunfertur: & in sacrificando diis hoc poculo magistratus dat deo vinũ.Hæc ille.Sex. Pompeius itidem significat Romanos vti patera in sacrificiis solitos. Paterã,inqt, ppluere in sacris cũ dicit significat ppluere, aut ptusã esse. Quid egerit).i.qd spectarit,qd se assecuturũ aĩo ꝓposuerit.De hoc Bruti facto Liuius & Dionysi⁹ Alicarnasse⁹ satis multa scripserũt. Q.Mutiũ) De Q.Mutio,de Horatio Coclite,quãta virtutis exẽpla ediderit,ignotũ non est,itaq; consulto prætereo:si quis tamẽ amplius volet legere,apud T.Liuium libro secundo inueniat:quemadmodum de P.Decio in bello Latino,deq; eius filio in bello Samnitico se deuouentibus idem libris viii.&.x.scripsit. In ponte) Sublicio. Cõtinentia C.Fabritii) Samnitum Legati quum ad C.Fabritium grãdem pecuniam dono offerrent, orarentq; vti acciperet:tum Fabritius planas manus ab auribus ad

Exempla quantum valeant.

Romulus deus.

Aeuũ qd sit.

Capedo quid sit.

Figulorũ collegiũ.

Pater qd sit.

Fabritii cõtinẽtia.

oculos,& infra deinceps ad nares,& ad os,& ad gulam, atq; inde porro ad vẽtrem imum deduxit? Legatisq; ita respondit, Dum illis omnibus membris,quæ attigi,obsistere atq; imperare potero, mihi nunq̃ quicq̃ deerit.Propterea pecuniam,qua nihil mihi opus est,ab iis non accipiã, quib⁹ eam vsui esse scio. Hæc A. Gellius capite.xiiii.libri primi.ex Iulii Higini sententia.Valerius Maximus lib.iiii.de abstinentia & continentia idem exemplum posuit, adiecitq; Fabritium locupletem non multa possidendo,sed pauca desiderando factum esse.Continentiam autem,vt sit auaritiæ contraria,ex hoc loco satis cognosci potest,vt sit cõtinens is qui rebus suis contentus aliena non cupiat. Quid teuuitas victus M.Curii) Hoc exemplum eodem in loco Valerius Max..scripsit. Plutarcho in vita Catonis authore quum Curium ad focum sedẽtem, & rapas coquentem Legati Samnitum offendissent,magnum auri pondus obtulerunt.Eo repudiato Curius negauit auro opus esse iis.quibus cœna tam tenuis satis esset. Sequebatur).i.sibi proponebat,& sperabat.

Continentia.

Scipionis duo fulmina belli.

Duo propugnacula) Duo fulmina belli Cicero appellat pro L.Cornelio Balbo,Quum duo fulmina nostri imperii subito in Hispania Cn. & P.Scipiones extincti occidissent.Duo fulmina belli Scipiadas Virgilius appellat lib.Aen.vi.De Cn.& P.Scipionũ fratrũ cęde in Hispania anno secũdi belli Punici.viii.T.Liuius lib.xxv.scribit ampliter. Aduentũ) per Hispaniã in Italiã.Valla lib.v.scribens intercludere esse iter impedire & quasi iter claudere locum hunc aliter citat ad hunc modũ,Qui iter Pœnorum cadaueribus corporum suorum intercludendũ putauerunt.

Quid Africanus maior,quid minor?) Africanus maior fuit filius P.Scipionis eius qui in Hispania occidit.Minor filius Pauli Aemylii adoptatus est ab Africani maioris filio. Inter horum ętates interiectus Cato) M.Cato quinq; annis minor erat Africano maiore,vt scripsimus in Catonem maiorẽ Ciceronis.Is mortuus est primo anno tertii belli Pun. quod Scipio minor confecit. Vel ipsi iudicent).i.ipsimet sint iudices.

Cato maior qua ætate.

Corinthia opera.

Horũ alicuius) Similes esse malint .Corinthiis operibus) vt vasis,sed præcipue signis,quibus pleriq; ita capiuntur,vt secum circunferant, vt author est Plinius cap.viii.libri.xxxiiii.Idem de ęre Corinthio scripsit cap.secũdo eiusdem libri. Se similes esse malint) Quid hi iudicare debeant Alexander Magnus admoneat,qui a Diogene discedens amicis dixisse fertur,Ego profecto nisi Alexãder essem,Diogenes esse vellem.Ipse quoq; Diogenes quantum diuitias contempserit,tum ostendit,qui Alexandro optionem danti petendi quicquid vellet, respondit, Vt sibi paulũper a sole discederet.Apricanti enim Diogeni Alexander officiebat.

Atq; hęc quidẽ) bona,quę fortunę ludibria appellauit. Facile adduci solẽt) nõnulli.id est sũt nõnulli q facile credũt,hęc bona nõ esse,sed voluptatẽ bonũ esse etiã summũ dicũt,quorũ sententiã hoc in loco Ci-

cero refutat. Abiicies).i.abiectum facies. Vt nihil inter te & quadrupedem) Scribit Aristoteles in Ethicis duos sensus nobis communes cum belluis esse, gustum & tactũ. Voluptates igitur quæ his duobus sensib⁹ percipiuntur, vt nihil inter hominem & belluã intersit, efficiunt. Nihil aliquid) Vt sæpius dicitur nihil quicq̃. Quicq̃ ne bonum) Ab efficiẽtibus arguit voluptatẽ bonũ nõ esse, q̃ hominẽ nõ faciat meliorẽ, sed deteriorem. Vt enim quisq; &c.) Id cõsequens est. Plurimorũ) Epicureorũ. De voluptate quod bonũ nõ sit Cicero in lib. de Officiis tertio, in lib. de Senect. & fusius in libris de Finib⁹ bonorũ & malorum disputat.

ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν, id est,
In quo virtus sit, ei nihil deesse ad beate viuendũ.

NEc ego vero M. Regulum ærumnosum, nec infelicem, nec miserum vnq̃ putaui. Non enim magnitudo animi eius cruciabatur a Pœnis, non grauitas, non fides, non constantia, non vlla virtus, non deniq; animus ipse, qui tot virtutum præsidio munitus, tantoq; comitatu virtutis septus, cum corpus eius carperetur, carpi certe ipse non potuit. C. vero Marium vidimus, qui mihi secundis in rebus vnus ex fortunatis hominibus, in aduersis vnus ex summis viris videbatur, quo beatius esse mortali nihil potest. Nescis insane, nescis quantas vires virtus habeat. Nomen tantũ virtutis vsurpas, quid ipsa valeat ignoras. Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quiq; in se vno sua ponit omnia. Cui autem spes omnis, & ratio, & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil potest esse certi, nihilq; quod exploratum habeat permãsurum sibi, ne vnũ quidẽ diem. Eum tu hominẽ terreto, si quẽ eris nactus, istiusmodi mortis aut exilii minis: mihi vero quicquid acciderit in tã ingrata ciuitate, ne recusãti q̃dẽ euenerit, nõ modo nõ repugnãti.

Regulus.

C.Marius.

Quid enim ego laboraui, aut quid egi, aut in quo euigilauerunt curæ & cogitationes meæ: si quidem nihil peperi tale, nihil cōsecutus sum, vt eo statu essem, quem neq; fortunæ temeritas, neq; inimicorum labefactaret iniuria? Mortem ne mihi minitaris, vt omnino ab hominibus? an exilium, vt ab improbis demigrandum sit? Mors terribilis est his, quorū cum vita omnia extinguuntur: non his, quorum laus emori nō potest. Exilium autem terribile his, quibus quasi circumscriptus est habitandi locus, non his qui omnem orbem terrarum vnam vrbem esse ducunt. Te miseriæ, te ærumnæ premunt omnes, qui te beatum, qui te florentem putas: tuæ libidines te torquent: tu dies noctesq; cruciaris, cui nec satis est quod est, & idipsum quod habes, ne non diuturnum sit futurum, times. Te conscientiæ stimulant maleficiorum tuorum, te metus exanimat iudiciorum atq; legum: quocunq; aspexisti, vt furiæ, sic tuæ tibi occurrunt iniuriæ, quæ te respirare non sinunt. Quamobrem vt improbo, & stulto, & inerti nemini bene esse potest: sic bonus vir & sapiens & fortis miser esse nō potest. Nec vero cuius virtus moresq; laudandi sunt, eius non laudanda vita est: neq; porro fugienda vita est, quæ laudāda est. Esset autem fugienda, si esset misera. Quamobrem quicquid esset laudabile, idem & beatum, & florens, & expetendum videri debet.

ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν,

Id est, quod sufficiens virtus ad felicitatem. Hi paradoxorum tituli capita sunt eorum, de quibus in paradoxis ipsis disputatur. Caput autem nonnunq̄ significat quādam orationis breuitatem multa in se complectētem. Vulgo dicitur ab aliis summa, ab aliis substātia. Vt quū dicimus,

epiſtolæ caput eſt. Itaq; hæc capita quo ſint breuiora, id quod facile intelligi poteſt, non adſcribitur, quale eſt, Hoc in paradoxo diſputat, aliud ve quid ſimile, & verbum principale orationis. Non Stoicorum tantũ hoc paradoxũ eſt, ſed etiam accedit ad Epicureorũ dogma: qui vt ait Cicero in L. Piſonem, ſapientem dicunt, etiam ſi in Phalaridis tauro inclusus ſuccenſis ignibus torreatur, dicturum tamen, ſuaue illud eſſe, ſeſeq; ne tantulum quidem commoueri. Tantam virtutis eſſe vim voluerũt, vt non poſſet vnq̃ eſſe vir bonus non beatus. Idem paulo poſt, Nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginenſes reſectis palpebris, illigatũ in machina, vigilando necauerunt, ſupplicio videtur affectus. Nec C. Marius, quem Italia ſeruata ab illo, demerſum in Minturnenſium paludibus, Africa deuicta ab eodem, expulſum & naufragũ vidit. Fortunæ enim iſta tela ſunt, non culpæ. Suppliciũ autem eſt pœna peccati. Aliaque in eam ſententiam perſequitur. Hęc autem diſputatio eſt libri Tuſculanarum quæſtionum quinti. Virtutes cõiunctę.

NEc ego vero) Hoc modo melius putem legẽdum, vt in codice antiquo ſcriptum eſt, q̃ quo modo in vulgatis codicibus, Nec vero ego, vt ſit vero aduerbium non cõiunctio. M. Regulum) Quo ſupplicio Attilium Regulum Pœni affecerint eſt apud A. Gellium cap. quarto lib. vi. & apud Ciceronem libro de Officiis tertio. Tot virtutũ præſidio) ex more Stoicorum loquitur, qui virtutes cõiunctas eſſe inter ſe dicunt, & vt ita dicam concatenatas, vt nullam quiſquam habere poſſit, quin habeat reliquas. Comitatu virtutis ſeptus) In codice antiquo ſcriptum eſt comitatu ſeptus. Ibiq; virtutis otioſa dictio videtur. Carperetur) i. cruciaretur & laceraretur. In codice antiquo male etiã ſcriptũ non eſt, quum corpus eius caperetur, capi certe ipſe nõ potuit. Ipſe) id eſt animus Reguli. Hominẽ animum eſſe, ſed qui ſit in corpore ex Ciceronis ſententia ſcripſimus fuſius in librũ de Senectute. Eam hoc in loco ſententiam Cicero ſequitur. Capi ipſe certe nõ potuit) Vt philoſophũ Anaxarchum accepimus, quum a tyranno Nicocreonte torqueretur, dixiſſe, Tunde tunde Anaxarchi ſacculum, Anaxarchum nihil tundis. Ea etiam fuit beatorum Martyrum virtus, vt ſupplicia tyrannorũ vel grauiſſima cõtemnerent. Vnus ex fortunatis hominibus) C. Marius in Arpinati agro natus obſcuris tenuibusq; parentibus fuit. In domo Cæcilii Metelli a pueritia miniſter fuit, vnde virtutis cepit initium. In Numantię obſidione P. Scipionis diſcipulus & miles fuit. Iugurthã Numidiæ Regem cepit, qui cum duobus filiis ante currum eius triumphantis ductus eſt. Triumphali veſte in Senatũ venit, quod ante eum nemo fecit. Teutonos, Ambrones, Cimbros magna ſtrage vicit, de iisque triumphauit. Marſos poſtea fudit. Septies Conſul fuit, quod ante eũ cõtigit nemini. Plures ei⁹ ſecũdas res Plutarch⁹ in eius vita deſcribit, quare C. Marius felix.

in fortunatis hominibus videri possit. Qualis autem in aduersis rebus fuerit, postquam a L. Sylla Consule in vrbe Roma victus hostis patriæ a Senatu iudicatus est. Cicero scribit in oratione post reditum ad Quirites, Quod si quis, inquit, existimat me aut voluntate esse mutata, aut debilitata virtute, aut animo fracto, vehementer errat. Mihi quod potuit vis & iniuria, & sceleratorum hominum furor detrahere, eripuit, abstulit, dissipauit. Quod viro forti adimi non potest, id mihi manet & permanebit. Vidi ego fortissimum virum municipem meum C. Marium, quoniam nobis quasi aliqua fatali necessitate, nō solum cum iis, qui hæc delere voluissent, sed etiam cum fortuna, belligerandum fuit: eum tamen vidi quum esset summa senectute, non modo non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, sed cōfirmato atq; renouato. Quem egomet dicere audiui, tum se fuisse miserum, quū careret patria, quam obsidione liberauisset, & quum sua bona possideri ab inimicis ac diripi audiret, quum adolescentem filium videret eiusdem sociū calamitatis, quū in paludibus demersus concursu ac misericordia Minturnensium corpus ac vitam suam conseruaret: quum parua nauicula traiectum in Africā, quibus regna ipse dederat, ad eos supplex inopsq; venisset. Recuperata vero sua dignitate, se non commissurum, vt quum ea quæ amiserat, sibi restituta essent, virtutem animi nō haberet, quam nunquam perdidisset. Quo beatius) Est enim beatus qui est ea animi constantia, vt nullis aduersis rebus de gradu, vt aiunt, deiiciatur. Nescis insane) Hoc ad M. Antonium referri potest, vt nonnulli putāt. Sed quum in communes locos hæc paradoxa Cicero cōiecerit, verisimilius est sermonem infinitum esse, id est ad nullam certam personam & definitam directum, sed ad quemlibet. Aptus) id est colligatus & prudēs. Apere enim pro eo quod est colligare & comprehendere veteres Latini dixerunt. Ex sese) id est ex animo suo. Ne vnum diem) In codice antiquo tantum scriptum est, vnum diē. Istiusmodi mortis) quib⁹ tu me terrere conaris. Magnifica vero est illa vox Theodori Cyrenei qui Lysimacho regi mortem sibi minitanti, Enimuero, inquit, magnifica res tibi contigit, quia cantharidis vim assecutus es. Quumq; hoc dicto iratior factus cruci eum affigi iussisset, Terribilis hæc, inquit, sit purpuratis tuis: mea quidem nihil interest, humine an sublime putrescam. Author est Valerius maximus libro sexto de libere dictis. Quicquid acciderit) siue mors, siue exilium. In tam ingrata ciuitate) quam ego ab interitu liberaui, quum Catilinæ coniurationem oppressi. Quid enim ego laboraui) Ostendit se dignum esse eo statu, quem neque fortunæ temeritas, neq; inimicorum iniuria labefactare possit. Quod si contra contigerit, ciuitas Ro. a se seruata ingrata fuerit. Ab improbis) aut ab ingratis ciuibus, aut certe ab inimicis meis. Quorum cum vita omnia extinguntur

C. Marius infelix.

tur)id eſt qui nihil vnquam in vita geſſerũt,quod apud poſteritatẽ vlla laude dignum eſſet:quorum memoria,vt dici ſolet, perit cum ſonitu. Ea autem laus apud poſteritatem permanſura virtute paratur.Inde eſt illud Virgilii lib.Aeneid.x.Breue & irreparabile tẽpus Omnibus eſt vitæ:ſed famam extẽdere factis,Hoc virtutis opus.Iis qui animũ vna cũ corpore interire credebant,mors maxime terribilis erat.Itaq; authore Ariſtotele libro Ethicorum tertio,Mors maxime omnium terribile eſt. Eſt enim vltimum vitę,& nihil poſt homini mortuo aut bonũ aut malum eſſe videtur. Circũſcriptus) id eſt definitus, vt ei loco fines quidã & limites aſcripti ſint, vltra quos progredi aut non liceat,aut iucũdum non ſit.Qui tamen ſi ita circũſcriptus ſit, vt ex eo egredi non liceat, id moleſtum admodum ſit.Quemadmodum a patribus accepimus fuiſſe Pariſianum quendam ciuẽ ſeptuagenarium,qui nondum vnq̃ ex vrbe egreſſus fuerat. Id quum Regi Ludouico xi.inter alia noua dictũ eſſet, homini ad ſe accerſito interdixit,ne toto anno proximo ex vrbe egrederetur. Eo ipſo anno ciuis is,cui circũſcriptus erat habitandi locus,qui antea nunq̃ egredi cupiſſet,incredibili egrediẽdi cupiditate incendebatur. Qui omnem orbem terrarum &c) Stoici dicunt omnem orbẽ terrarum vnam vrbem eſſe.Hoc autem Socraticũ eſt.Socrates enim quum rogaretur cuiatem ſe eſſe diceret: Mundanũ,inquit. Totius enim mũdi ſe incolam & ciuẽ arbitrabatur,vt ait Cicero libro Tuſculanarum diſputationum quinto.Vbi illud Teucri dictum ſcribit,Patria eſt,vbicunque eſt bene. Cui nec ſatis eſt,quod eſt) Vt paradoxo ſuperiore, Nunq̃ expletur nec ſatiatur cupiditatis ſitis,&c. Te cõſciẽtię ſtimulãt &c.)Authore Cicerone in L.Piſonẽ,Suppliciũ eſt,quod accidere nemini poteſt, niſi nocenti,ſuſcepta fraus,impedita & oppreſſa mens cõſcientia,bonorum omnium odium,nota iuſti Senatus,amiſſio dignitatis.Idem paulo poſt,Nolite putare P.C.vt in ſcena videtis homines cõſceleratos impulſu deorum terreri,Furiarum tædis ardentibus:Sua quenq; fraus,ſuũ facinus,ſuum ſcelus,ſua audacia de ſanitate ac mẽte deturbat.Hæ ſunt impiorum furiæ,hæ flammæ,hæ faces.Conſcientiæ ſtimulus quantum hominem quieſcere non ſinat, quantum eius mentem vexet, Macrobius per fabulam eam de Tityo gigante quæ eſt apud Virgiliũ libro Aeneid.vi.& apud alios poetas,ſignificari dicit libro de expoſitione ſomnii Scipionis primo.Nihil,inquit,aliud intelligi voluerũt, quam tormenta conſcientiæ flagitio obnoxia, viſcera interiora rimantis, & ipſa vitalia indefeſſa admiſſi ſceleris admõitione laniãtis,ſẽperq; curas ſi requieſcere forte tẽtauerint,excitãtis,tãq̃ fibris renaſcẽtib⁹ inhærẽdo,nec vlla ſibi miſeratiõe parcẽtis:lege hac,qua ſe iudice nemo nocẽs abſoluit, nec de ſe ſuã poteſt vitare ſẽtẽtiã.Metus exanimãt,)ne iudiciis & legib⁹ ſupplicio afficiãre.Quãobrẽ)Cõcluſio eſt,i qua a cõtrario ꝓbat paradoxũ.

Suppliciũ quid ſit.

Conſciẽtia mala.

ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, id eſt, Q? æqualia pec cata.

PArua, inquit, res eſt, atq; magna culpa. Nec enim peccata rerum euẽtu, ſed vitiis hominũ metienda ſunt. In quo peccatur, id poteſt aliud alio maius eſſe, aut minus: ipſum quidẽ illud peccare, quoquo te verteris, vnum eſt. Auri nauem euertat gubernator an paleæ, in re aliquantum, in gubernatoris inſcitia nihil intereſt. Lapſa eſt alicuius libido in muliere ignota: dolor ad pauciores pertinet, quam ſi etiam petulans fuiſſet in aliqua generoſa ac nobili virgine: Peccauit vero nihilo minus, ſi quidem eſt peccare tanquam tranſilire lineas. Quod cum feceris, culpa commiſſa eſt: q̃ longe progrediare, cum ſemel trãſieris, ad augendum tranſeundi culpam nihil pertinet. Peccare certe licet nemini. Quod autem non licet, id hoc vno tenetur, ſi arguitur nõ licere. Id ſiquidẽ nec maius, nec minus vnq̃ fieri poteſt. Quoniam in eo eſt peccatum, ſi nõ licuit, quod ſemper vnum & idẽ eſt, quæ ex eo peccata naſcantur, æqualia ſint oportet. Quod ſi virtutes pares ſunt inter ſe, paria eſſe etiã vitia neceſſe eſt. Atqui pares eſſe virtutes, nec bono viro meliorẽ, nec tẽperante temperantiorem, nec forti fortiorẽ, nec ſapiẽte ſapientiorẽ poſſe fieri, facillime poteſt perſpici. An virum bonum dices, qui depoſitum nullo teſte, cũ lucrari impune poſſet, auri pondo decẽ reddiderit, ſi idẽ in decẽ milibus auri pondo non idem fecerit? Aut tẽperantem eum, qui ſe in aliqua libidine cõtinuerit, in aliqua effuderit? Vna virtus eſt cõſentiẽs cũ omni ratiõe, & perpetua cõſtãtia. Nihil huic addi poteſt, quo magis virt⁹ ſit: nihil demi, vt virtutis nomẽ relinquat.

Etenim si bene facta, recte facta sunt, & nihil recto re ctius est, certe nec bono quidem melius quicq̃ inueni ri potest. Sequitur igitur, vt etiam vitia sint paria : si quidem prauitates animi recte vitia dicuntur. Atqui quoniam pares virtutes sunt, recte etiã facta, quoniã a virtutibus proficiscuntur, paria esse debent. Itemq; peccata, quoniã ex vitiis manant, sint ęqualia necesse est. A philosophis, inquit, ista sumis: Metuebã ne a le nonibus diceres. Socrates disputabat isto modo. Bene Hercule narras, nam istum doctum & sapientẽ virũ fuisse, memorię traditũ est. Sed tamẽ quęro ex te, quã do verbis inter nos cõtendimus, non pugnis: vtrũ poti⁹ de bonis est quęrẽdũ, qd baiuli atq; operarii, an qd homines doctissimi senserint: pręsertim cum hac sen tentia, non modo verior, sed ne vtilior quidem homi nũ vitę reperiri vlla possit? Quę vis est enim quę ma gis arceat homines ab omni improbitate, q̃ si sense rint nullum in delictis esse discrimen? Et ęque pecca re se, si priuatis, ac si magistratibus manus inferãtur? quamcunq; in domũ stuprum intulerint, eandem esse labem libidinis? nihil ne igitur interest (nã hoc dicet aliquis) patrem quis necet, an seruum? Nuda ista si po nes, iudicari qualia sint, nõ facile possunt. Patrẽ vita priuare, si per se scelus est, Sagũtini qui parẽtes suos liberos emori, q̃ seruos viuere maluerũt, parricidę fu erũt. Ergo & parẽti nõnunq̃ adimi vita sine scelere po test, & seruo sępe sine iniuria nõ potest. Causa igitur hęc, nõ natura distinguit. Quę quãdo vltro alteri ac cessit, id fit propẽsius. Si vtrobiq; coniuncta est, paria fiant necesse est. Illud tamẽ interest, quod in seruo ne

cãdo,si id fit iniuria, semel peccatur : in patris vita violanda multa peccantur. Violatur is qui procreauit,is qui aluit,is qui erudiuit,is qui in sede ac domo, atq; in Rep.collocauit.Multitudine peccatorum præstat,eoq; pœna maiore dignus est.Sed nos in vita nõ quæ cuiq; peccato pœna sit, sed quantum cuiq; liceat spectare debemus.Quicquid non oportet,scelus esse: quicquid nõ licet,nephas putare debemus. Etiam ne in minimis rebus? Etiã.Siquidẽ rerum modum fingere non possumus, animorũ modum tenere possumus. Histrio si paulũ se mouit extra numerum, aut si versus pronunciatus est syllaba vna breuior aut lõgior, exibilatur & exploditur:In vita q̃ omi gestu moderatior,omni versu aptior esse debet,vt in syllaba te peccare dices?poetam non audio in nugis,in vitæ societate audiam ciuem digitis peccata dimetientẽ sua?quæ si visa sint breuiora, leuiora qui possint videri ? cum quicquid peccatur, perturbatione peccetur rationis atq; ordinis.Perturbata autẽ semel ratione & ordine, nihil possit addi,quo magis peccari posse videatur.

ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα,

Id est quod æqualia peccata.

Peccata paria.

HOc paradoxũ est Stoicorũ.Ii eñi peccata paria existimãt vt Chrysippus ait in quarto Naturaliũ quæstionũ,& Perseus & Zeno. Nã si verũ vero maius nõ est,nec falsum falso mai⁹ erit:Ita nec fraus fraude, nec peccato peccatum.Nã & qui cẽtum stadia abest a Canopo,& qui vnũ,æque in Canopo nõ sunt.Itaq; & qui minus peccat, & q ampli⁹, æque in recto opere nõ sunt.Authore Cicerone lib.de Finibus.4.Stoici peccata paria probãtes,negãt honesto quicq̃ honestius,atq; turpi turpi⁹. Vt,inquiũt,in fidibus plurimis,si nulla earũ ita cõtenta numeris sit,vt cõcentũ seruare possit,omnes æque incõtentę sint: sic peccata quia discrepant,ęque discrepãt,paria sunt.Itéque, Quoniã,inquiũt, omne peccatũ imbecilitatis & inconstantię est,hæc autẽ vitia in omnibus stultis æque

magna sunt, necesse est esse peccata paria. Eodē authore eodē libro, Stoici eos qui natura doctrinaq; longe ad virtutem praecessissent, nisi eam plane consecuti essent, summe esse miseros dicunt, nec inter eorum vitam, ac improbissimorum quicquam omnino interesse. Vt Plato tantus ille vir, si sapiens non fuerit, nihilo melius, q̄ quiuis improbissimus, nec beatius vixerit. Idem Stoici dicunt, vt est apud eundem pro L. Murena, non minus delinquere eum, qui gallum gallinacium, quum opus non fuerit, quam eū qui patrem suffocauerit. Item pro Milone, vt ad iudicia quoq; hoc paradoxum peruenire cognoscas, Non alio, inquit, facinore clari homines, alio obscuri necātur. Interfit inter vitę dignitatem summorum atq; infimorum: mors quidem illata per scelus iisdem poenis teneatur. A legibus) Nisi forte magis erit parricida, si quis consularē patrem, quam si quis humilē necauerit. Platonis quoq; (anteq̄ secta Stoicorū esset) haec fuit sententia, vt hoc paradoxum Socraticum videatur. Is enim libro de Legibus xii. Si quis, inquit, publicum aliquid furatus fuerit, siue paruum, siue magnum id sit, pari supplicio afficiatur. Nā qui rem paruam sustulit, & si minori vi, quam qui magnam rapuit, ęqua tamē cupiditate furatus est. Aristippus Cyrenaicus, qui Platonis aequalis fuit, quique summum bonum in voluptate corporis posuit, voluptates pares dixit, nec differre a voluptate voluptatem, nec plus altera mulcere alteram, vt in vita eius Diogenes Laertius scripsit. Rerum euētu id est eo in quo peccatur, iisq; rebus quae consequantur, postq̄ peccatū sit. Sed vitiis) id est cupiditate & scelere eorū qui peccarant. Metienda). id est aestimanda, & vt indocti dicunt, mensuranda. Quoquo te verteris) id est quodcunq; peccatum commiseris. Auri) id est auro onustā.

Lapsa est libido in muliere ignota) id est ignota & obscura mulier stuprata est. Tanquam transire lineas) In ludo pilae vitia quoque paria, & virtutes pares videre licet. Si quis enim pilam proxime fune, sed supra pepulerit, non magis vincet, quam si altissime pepulisset: Si quis item infra funem, sed proxime pepulerit, tantum amittet, quantum, si ea tantummodo tacta, pulsa non fuisset. Transire lineas) Nam est modus in rebus, sunt certi deniq; fines, Quos vltra citraque nequit consistere rectum. Si arguitur non licere) id est si id ostenditur, quod non liceat. Id autem non licere nec maius quidem est, nec minus. Vt non licet tibi magis occidere hominem alienum quam alii patrem. Quod si virtutes pares sunt) Argumentum est ex cōsequentibus, quod Cicero vocat, ex rebus sub eādē rationē veniētibus. Si virtutes pares sunt) Stoici virtutes pares esse dicebant. Mnesarchus, vt ait Cicero lib. de Oratore. 1. qui virtutē vnā haberet, omnes habere, easq; ipsas inter se aequales esse & pares dicebat. Chrysippus Stoicorū grauissimus, librū vnum scripsit, quod virtutes aequales sint, vt est apud Diogenem Laertium libro septimo.

Virtutes pares.

Nec bono viro meliorē) Stoici negāt quenq̄ virū bonū esse nisi sapien tē. Sapientē autē dicūt eū qui ita perfectus est & absolutus, vt oēs virtu tis numeros habeat, quā sapientiā adhuc mortalis nemo est cōsecutus, vt ait Cicero in Lelio, In iis autē in quibus sapiētia pfecta nō est, ipsum illud quidéperfectū honestū nullo modo esse potest, sed similitudines ho nesti esse possunt. Vt ait idem lib. de Officiis. iii. Bono igitur viro melior esse nō potest, si is demū bonus est qui omnes virtutis numeros habet. Nam plures alius habere nō potest. Depositū) Fidei suæ commissum.

Glauc⁹ Lacedæmonius. Lucrari) negando se accepisse. Auri pondo decē &c.) Eū qui depositū nō reddat virū bonū nō esse. Herodotus lib. vi. significat. Is em̄ de Glau co Lacedæmonio ad hanc scribit sententiā, Vir quidem Milesius apud Glaucū, qui iustus prędicabatur dimidiā suā pecuniā deposuit. Mortuo illo viro Milesio ei⁹ filii ostēsa nota quā Glauco eorū pater acceperat, depositū reposcūt. Negat Glaucus meminisse se accepti depositi, sed cū his agit, vt quarto mēse redeāt, vt iis depositū reddat, si reminiscatur. In terim Apollinē cōsulit an iureiurādo depositū negaturus sit. Ei Pythia respōdet, Nihil referre deū tētare, & facere. Itaq; fore vt tota Glauci do mus intereat: quod breue factū est. Effuderit) .i. effuse ei operā dederit.

Cōstantia) perseuerātia. Nihil recto rectius) Vt si recta regula est, alia rectior esse nō potest. Prauitates animi) Prauum & rectū cōtraria sunt.

Inquit) aliquis, quicūq; sit. Socrates &c.) dicet idē. Istum doctū & sa pientē virū) Socratē oraculo Apollinis iudicatū fuisse sapiētissimū igno tum nō est ei, qui paulo humanior sit. Baiuli) onerūferentes, quos hęc quoq; ætas postremos existimat, ex iis qui labore corporis victū sibi quę runt. A Baiis baiuli dicti sunt. Quæ sit eius verbi ratio alio loco docui mus. Operarii) .i. vt vulgo dicūt, mechanici. Sed ne vtilior) Huius paradoxi vtilitas quę sit ostēdit. Hoc certe Paradoxū bonos viros ab im probitate etiā parua arcere possit si pcecata omnia paria esse cognoscāt. Improbi autē homines ad grauissima quæq; flagitia excitari possint, si iis se grauius peccaturos nō existimēt, q̄ si leue aliquod scelus admitte rent. Manus inferantur) In codicibus aliis est manū inferant. Inferre manum & afferre dicimus pro eo quod est aliquem iniuste percutere, si ue manu, siue telo. Quācunq; in domū) Familiā siue nobilē siue igno tam. Nuda) .i. simplicia &, vt ita dicā, sine circunstātiis. Per se) .i. sim pliciter & in generali. Saguntini) Hi enim metuentes ne in hostis ma nus deuenirent inclusi cum coniugibus ac liberis domos super seipsos concremauerunt. Vt est apud Titum Liuium libro. xxi. Liberos) id est non captiuos. Parenti nonnunquam) Vt Saguntini ferunt. Siue iniuria) Antiquo iure Romanorū dn̄i in seruorū necē potestatē habue rūt. Authore Modestino lib. Digest. 48. ad legē Corneliā de Sicariis post legem Petroniā & Senatusconsulta ad eam legē pertinētia, dn̄is potestas

Baiuli.

Seruos a dn̄is occidi non licet.

ablata est ad bestias depugnãdas suo arbitrio seruos tradere. Oblato tamen iudicii seruo, si iusta sit domini querela sit pœnę tradetur. Diuus Hadrianus, vt in eius vita Aelius Spartianus tradit seruos a dominis occidi vetuit, eosq; iussit damnari per iudices, si digni essent. Causa distinguit hæc) patrẽ & seruũ necare. Multa peccantur) Genus hoc dicendi, quia rarũ est, adnotandũ est. Is qui sese ac domo) In codice antiquo ita scriptum inuenio, Is qui in domo, in sede, in Republica collocauit. In sede) Vt in primo Aeneid. Sedes vbi fata quietas ostendũt. Prestat) id est preponderat. Et in rem malam prestare dici adnotandũ est. Nõ quę cuiq; peccato pœna sit) Nam rerũ euentu peccata metienda non sunt. Ex euentu autẽ pœna constituitur. Sed quantum cuiq; liceat) Licere & oportere ita distingui, vt hoc species sit, illud genus, pro Cornelio Balbo scripsimus. Etiam ne in minimis rebus) Legẽdum fortasse sit, etiã in minimis rebus. Rerũ modũ) .i. exitum rerũ. Fingere) .i. cõponere & statuere. Animorũ modũ) .i. limitẽ & lineas, quas transire nõ oporteat. Si paulo se moueat) In codice antiquo melius scriptũ videtur, si paululũ sese mouerit. Sese mouerit) .i. motum corporis fecerit. Extra numerũ) .i. modos, & vt vulgo dicũt, cõtra notulas, & cãtũ. Vt in saltationib[us] fieri videmus. Syllaba vna breuior aut longior) intelligi possit, si breuis syllaba vt longa, aut cõtra pronũciata sit: sed potius, si versus syllaba vna deficiat, aut abũdet. Exibilatur & exploditur) In codice antiquo scriptũ est solũ, exploditur. In vita quę omni gestu &c.) Cicero in libris de Officiis quale sit vitæ decorũ sæpe ostẽdit ex histrionũ decore. Omni vsu) In codicibus aliis melius scriptũ est omni versu, vt gestus ad motũ, versus ad syllabã referatur. Peccare) peccasse non peccare in antiquo codice lego. Poetã nõ audio in nugis) A minore ad maius ostẽdit improbitates animi arcendas esse. In nugis) .i. in rebus vanis, & in fabulis. Digitis peccata dimẽtiẽtẽ) Mos quidã nõ vulgaris fuit apud veteres per digitos, eorũq; articulos dinumerãdi, quẽ ex venerabilis Bedę sentẽtia Iodocus Clichthoueus ascripsit libro, vi. quẽ de mystica numerorũ significatione edidit. Ordinis) .i. modestiæ, quã Græci εὐταξίαν nominant, quã Stoici definiũt, vt sit scientia rerum earum quæ aguntur aut dicuntur, loco suo collocandarum. Vt est in libro Ciceronis de Officiis primo. Magis) Lego minus in codice antiquo.

Multa peccantur.

Prestare in re mala dictum.

ὅτι πάντες οἱ μωροὶ μαίνονται, id est,

Omnes stultos insanire.

EGo vero te non stultũ, vt sæpe: non improbum, vt semper: sed dementem, & insanum addicam

Vide num† rationibus sit legẽdũ. † rebus necessariis. Sapientis animus, magnitudine consilii, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunę, virtutibus deniq; omnibus, vt mœnibus septus, vincetur & expugnabitur, qui nec ciuitate quidem pelli potest? Quæ est enim ciuitas? Omnis ne cõuentus etiam ferorũ & immaniũ? omnis ne etiam fugitiuorum ac latronũ congregata vnũ in locum multitudo? certe negabis. Nõ igitur erat illa tũ ciuitas, cum leges in ea nihil valebant, cum iudicia iacebãt, cum mos patrius occiderat, cũ ferro pulsis magistratibus, Senatus nomen in Rep. non erat? Prędonũ ille concursus, & te duce latrociniũ in foro constitutum, & reliquiæ coniurationis a Catilinæ furiis, ad tuum scelus furoremq; conuersę, num ciuitas erat? Itaq; pulsus ego ciuitate non sum, quæ nulla erat, accersitus in ciuitatem sum, cum esset in Rep. Consul, qui tum nullus fuerat, essetq; Senatus, qui tũ occiderat, esset consensus populi liberi, esset iuris & æquitatis (quę vincula sunt ciuitatis) repetita memoria. At vide q̃ ista tui latrocinii tela contempserim. Iactam & immissam a te nefariam in me iniuriam semper duxi, tamen peruenisse ad me nũq̃ putaui. Nisi forte cum parietes disturbabas, aut cũ tectis sceleratas faces inferebas, meorum aliquid ruere, aut in vrbe deflagrare arbitrabare. Nihil enim meum est, neq; cuiusq̃, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. Si mihi eripuisses diuturnam animi mei constantiã, meas curas, vigilias, consilia, quibus Resp. inuicta stat, si huius æterni beneficii immortalem memoriam deleuisses: multo etiam magis, si illam mentem, vnde hęc cõsilia

Catilina.

manarũt,mihi eripuiſſes, tum ego accepiſſe me con fiterer iniuriam.Sed ſi hæc nec feciſti, nec facere po tuiſti,reditum mihi glorioſum tua fecit iniuria , non exitum calamitoſum.Ergo ego ſemper ciuis eram,& tum maxime cũ meã ſalutem Senatus exteris natio nibus,vt ciuis optimi commendabat.Tu ne nũc qui dem es ciuis,niſi forte idẽ hoſtis eſſe, & ciuis poteſt? An tu ciuem ab hoſte natura ac loco , non animo fa ctiſq; diſtinguis? Cædẽ in foro feciſti,armatis latro nibus templa tenuiſti.Priuatorum domos,ædeſq; ſa cras incẽdiſti.Cur hoſtis Spartacus,ſi tu ciuis?Potes autem eſſe tu ciuis propter quem aliquando ciuitas nõ fuit? & me exulem tuo nomine appellas,cũ omnes meo diſceſſu exulaſſe rempublicã putent? Nũq̃ ne ho mo amentiſſime te circũſpicies?Nunq̃ ne,quid facias conſiderabis,nec quid loquare? Neſcis exilium ſcele rum eſſe pœnam? meum illud iter ob prçclariſſimas res a me ante geſtas eſſe ſuſceptum?Omnes ſcelerati, atq; impii, quorum tu te ducem eſſe profiteris , quos leges exilio affici volunt, exules ſunt, etiam ſi ſolum non mutarunt. An quum omnes leges te exulem eſſe iubeãt,nõ eris tu exul? Non appellatur inimicus,qui cum telo fuerit ? ante Senatũ tua ſica deprehenſa eſt. Qui hominem occiderit ? tu plurimos occidiſti. Qui incẽdiũ fecerit? ædes Nympharũ manu tua deflagra uit. Qui templa deorum occupauerit ? in foro etiam caſtra poſuiſti.Sed quid ego cõmunes leges profero, quibus omnib9 es exul?Familiariſſimus tu9 Cornifi ci9 de te priuilegiũ tulit, Vt ſi in opertũ Bonç deç ac ceſſiſſes,exulares,At te id feciſſe etiã gloriari ſoles.

Clodius.

Clodius re- pertus in tẽ plo Bonæ deæ.

Quomodo igitur tot legibus in exilium eiectus, nomen exulis non perhorrescis? Romæ sum inquis, & tu quidem in Ponto fuisti. Nō igitur vbi quisq; erit, eius loci ius tenebit, si ibi eum legibus esse subiectū non oportebit.

ὅτι πάντες οἱ μωροὶ μαίνονται, id est,

Quod omnes stulti insaniūt. Vt in morbis corporis multo leuior stultitia q̄ insania existimari solet, ita in morbis auidi insania multo grauior existimata est, q̄ stultus dicatur, qui etiam leue aliquod crimen admisit, etiā ex imprudentia. Insanus vero qui multis criminibus vel grauissimis dedita opera susceptis, ita se implicauit vt hoc ipsum peccare cum delectet, etiā si nulla peccandi causa sit. Stoici vero vt omnia peccata existimant æqualia, ita stultitiam insaniæ parem faciunt. Hoc autē Paradoxon non tam probat Cicero, q̄ docet P. Clodium insanum esse, eumq; multis legibus damnatum exulem fuisse, quāuis solū non mutauerit: se vero exulem fuisse negat, quāuis vt Clodiano furori cederet ex vrbe exiuerit.

EGo vero te) Primū ostēdit P. Clodiū insanū esse, se vero sapiētē. Non stultum) vt vulgo stultum intelligit. Rebus addicam necessariis) Sunt qui hoc ita exponant, argumentis veris & certis conuincam, quod argumenta quibus dubia & incerta probamus, certa & confessa esse debeant. Incertis enim dubia probari non possunt. Forstasse possit intelligi, vt Cicero dicat curatorem Clodio dandū tanq̄ furioso. Furiosum enim dominū esse rerū suarum vetant. xij. tabulæ, vt scripsi amplius in Catonem Maiorem. Furiosus igitur, quū ei curator datus est, necessariis rebus addictus est, nec suis rebus vti potest sine curatoris authoritate. Hic sensus si placeret, legendū esset, Ego vero te nō modo stultum, vt in aliquo vno codice inueni scriptū. Tolerantia) .i. patientia. Rerum humanarū) quæ aduersę hominibus eueniūt. Hunc rerum humanarū tolerātiā Cicero in libro de Officiis primo, appellat rerum externarū despicientiā. Omnino, inquit, fortis animus & magnus duabus rebus maxime cernitur. Quarum vna in rerū externarū despicientia ponitur, aut persuasum sit, nihil hominē, nisi quod honestum decorūq; sit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere. Contēptione fortunę) Contemptionem a Cicerone sępe, contemptū raro dici inuenias. Contemnere autem & metuere contraria sunt. Fugitiuorū) id est seruorum improborū, qui a dominis profugerūt, quales fuerūt ii qui Spartaco dux cū Romanis pugnantes sępe vicerunt. Illa tū ciui-

Contēptio.

tas) Eo anno quo P. Clodius erat Tribunus pl. Cicero ex vrbe eiectus furori Tribunitio cesserat. Resp. a Tribuno Clodio & a Coss. Pisone & Gabinio maxime vexata fuit, vt quũ aliis in locis multis, tũ maxime in Oratione pro P. Sestio Cicero scripsit. Hi autem Coss. vt in eadem oratione Cicero ait, ad delendum Senatũ, affligendũ Equestrẽ ordinẽ extinguenda omnia iura atq; instituta maiorũ, se illis fascibus, cęteris q; insignibus summi honoris atq; imperii ornatos esse arbitrabantur.

Nihil valebãt) in codice antiquo scriptũ est vacabãt. Quũ leges in ea nihil valebãt) Nõ hoc solũ fecit Clodius eo anno quo fuit Tribunus pl. vt leges nihil valerent, sed etiã multas leges Reip. perniciosas tulit, quas enumerat Cicero pro P. Sestio. Vbi idem scripsit legem Aeliam & Fusiã a Clodio sublatam. Quũ ferro pulsis magistratibus) Quũ. viii. Calend. Februarii lex ferenda esset de reditu Ciceronis, P. Clodius multa de nocte forũ, comitiũ, curiã armatis hominib⁹ ac seruis occupauit, in Q. Fabritiũ & P. Sestiũ Tribunos pl. impetũ fecit. Senatus nomen) Nã authoritas Senatui detracta erat, a Tribuno & Cõsulibus. Quinetiã Consul Gabinius in concione dixerat errare homines, si etiã tũ Senatũ aliquid in Rep. posse arbitrarentur. Concursus). i. conuentus celeriter factus. Latrociniũ). i. latrones, vt seruitia pro seruis, & ministeria pro ministris dicimus. Constitutum) viii. Calend. Februa. Reliquię cõiurationis). i. reliqui ex coniuratione. A Catilinæ furiis) Qui patriã incendere cõiurauerat. Accersitus) quũ reuocatus sum. Cum esset in Rep. Consul) P. Lentulus. Is enim cũ Q. Metello Consul anno proximo post Gabiniũ & Pisonem in Senatũ retulit de Cicerone reuocãdo. Itaq; Cicero in oratione post reditum in Senatu eum appellat principẽ, parẽtem deum vitæ suæ, fortunæ, memoriæ, ac nominis. Qui tum occiderat). i. cuius nomen in Rep. non erat. Esset cõsensus populi liberi). i. quũ populus Ro. legem libere tulisset vno consensu de meo reditu. Populi liberi) qui Pisone & Gabinio Coss. liber nõ fuerat, quẽ ad vestitum redire Consules coegerant. Quæ vincula sunt) vt in oratione pro A. Cluentio, Hoc, inquit, vinculum est huius dignitatis, qua fruimur in Rep. Hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis. Mens & animus, & consiliũ, & sententia ciuitatis posita est in legibus. Vt corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine lege suis partibus neruis ac sanguine & mẽbris vti nõ potest. Iactam & immissam) Sumpta translatio est ab iis, qui in inimicum aliquid iaculantur, quod inimicum non lædat, quod ad eum non perueniat. Quum parietes disturbabas) Quo die Cicero ex vrbe discessit, P. Clodius domum eius, quę in Palatio erat, incẽdit, parietes disturbauit, vt eo in loco Deæ Libertatis templũ ædificaret, tãq Ciceronis exilium Romanæ ciuitati libertatẽ afferret. Ruere) Id ad disturbabas refertur, vt deflagrare ad faces inferebas. Nihil neq; meũ est) Stoici enĩ nullũ

P. Clodii facinora.

Ciceronis domũ Clodius euertit.

bonũ præter virtutem existimant, quæ eripi non potest. Constantia) id est virtutem, quæ ideo mihi constans est, quia a natura est. Meas cu ras).i.meũ studiũ, meã in Rep. vt itu dicã, zelũ. Huius(.i.mei, quũ Rep. seruaui. Reditũ mihi gloriosum &c.) Antithesis est. Sẽper) etiã quũ aberã. Quũ meã salutẽ Senatus) Senatus literis Cõsularibus salutem Ciceronis exteris nationibus cõmẽdauit. Non animo factisq;) Cuius perniciosus hostis potius q̃ ciuis habẽdus est. Itaq; Cicero in prima Inuectiuarũ in Catilinã, negat eos q a Rep. defecerũt vnq̃ iura ciuiũ Romę tenuisse. Cędẽ in foro fecisti) Quũ Clodiani armati. viii. Cal. Febru arii, vt diximus, forũ, curiã, comitiũ occupauerũt, tã multos fuisse ab his occisos Cicero dicit pro P. Sestio, vt corporibus ciuiũ Tyberis repletus

Ciuis perniciosus. & cloacę refertę fuerint. Tẽpla tenuisti) Tẽplũ Castoris intelligit, qđ armatis hominib⁹ & seruis Clodius occupauit, ne lex ferretur de Ciceronis reditu. Id aũt Castoris tẽplũ pro foro iudiciali: vt cõtra, forũ p eo tẽplo sępe dicit. Priuatorũ domos).i. meã domũ. Inuidiose plurale pro singulari ponit. Aedesq; sacras incẽdisti) Tẽplũ Nympharũ Romæ a

Spartacus. Clodio cõbustũ fuisse scripsimus in Milonianã. Cur hostis Spartacus) A simili pbat P. Clodiũ hostẽ esse nõ ciuẽ. Quo tẽpore L. Lucullus gerebat bellũ cũ Mithridate. lxxiiii. gladiatores Capuę ex ludo Lentuli pfugerũt, qui seruorũ multitudine cõgregata magnũ exercitũ cõflauerũt, cuius Chrysus & Spartacus duces fuerũt. a quo Romanus exercitus sępe victus est. De eo T. Liui⁹ libris. xcv. xcvi. & xcvii. Tuo nomine).i. quo nomine appellãdus es. Suũ em̃ exiliũ Cicero nũq̃ appellat. Meũ illud iter).i. meus discessus. A me ante gestas) in opprimẽda cõiuratione & ciuitate seruãda. Nã propter cõiuratos eos, de quibus vltimũ suppliciũ in carcere sumpsit Cicero, abire coactus est, q indẽnatos eos fuisse Clodius diceret. eos em̃ populus Ro. nõ dãnauerat. Cui⁹ iniussu nõ licebat

Ciuem Ro. morte multare. lege Sẽpronia de capite ciuis Romani suppliciũ sumere. Solũ nõ mu tauerũt).i. vrbẽ nõ reliquerũt. Exul autẽ quasi extra solũ dicit, quod solũ

Mutare solum & vertere. mutauerit. Vertere solũ a Cicerone sępe dici alio loco docuimus. Non appellatur inimicus).i. nũquid cõtra leges facit, & legibus dãnat. Qui cũ telo fuerit) Lege Iulia de vi publica tenetur qui cũ telo dolo malo in cõuẽtu fuerit, aut vbi iudiciũ publice exercebit, vt author est Vlpianus

Telũ quid sit. libro Digestorũ. 48. de vi publica. Eodẽ in loco Paulus scribit, telorũ appellatione oĩa, ex quibus singuli hoĩes nocere possunt, accipi. Authore Caio Iurisc. lib. Digest. 47. de furtis, teli appellatiõe, & fustis, & ferrũ. & lapis, omne deniq; qđ nocẽdi causa habetur, significat. Lege Cornelia de Sicariis teneri eũ q hoĩs occidẽdi causa cũ telo ambulauerit, Martian⁹ scribit lib. Digestorũ. 48. ad legẽ Corneliã de Sicariis. Ante Senatũ tua sica depręhẽsa est) Authore Cicerone pro Milone, Cõpręhẽsus est in tẽplo Castoris seruus P. Clodii, quẽ ille ad Cn. Pompeiũ interficiẽdũ collo-

carat:extorta est confitēti sica de manibus.Item paulo post, Insidiator erat in foro collocatus,atq; in vestibulo ipso Senatus. Qui hominē oc ciderit)Non appellatur inimicus,qui hominē occiderit? Qui hominē). Is lege Cornelia de Sicariis tenetur,quēadmodū is cuius dolo malo in cēdiū factū sit.Incēdiū quāuis dicatur sępius. Incēsio tñ in ea re nōnūq̄ dicit.vt in Oratione pro P.Sylla,Quinq; hominib⁹ cōprę̄hēsis atq; cō fossis,incēsione vrbē,internecione ciues,vastitate Italiā,interitu Rēp.li beraui. Et libro Inuectiuarū in L.Catilinā.3.Qui esset decimus ann⁹ post virginū absolutionē,post Capitolii aūt incēsionē,vicesimus.Ab incēdio incēdiariū Vlpianus deflectit libro.48.Digestoꝝ,ad legē Corneliā de Si cariis.Si quis,inquit,dolo malo insulā meā exusserit,capitis poena ple ctetur,quasi incēdiarius. Deflagrarūt) deflagrauit in codicib⁹ aliis scri ptū est melius. In foro).i.in tēplo Castoris. Etiā castra).i.nō solū Casto ris tēplū armatis hoībus occupasti,sed etiā in eo castra posuisti. Fami liarissimus tuus de te priuilegiū tulit) In codicibus aliis scriptū est,Fa miliarissimus tuus Cornificius de te priuilegiū tulit.Is autē est Q.Cor nificius,de quo Cicero lib.Epist.ad Atticū.1.Credo,inqt,te audisse, quū apud Cęsarē ꝓ populo fieret sacrificiū,venisse eo muliebri indutū vesti tu virū,idq; sacrificiū quū virgines instaurassent,mētionē a Q.Cornifi cio in Senatu factā.Is fuit princeps,ne tu forte aliquē nostrū putes.Post ea rē ex S.C.ad Virgines & Pōtifices relatā,idq; ab iis nefas esse decretū. Deinde ex S.C.Cōsules rogatiōnē ꝓmulgasse.De hac Clodii de incestu causa, q̄q; corruptis iudicib⁹ absolutus sit,Plutarchus in vita Cicero nis plura scripsit. In opertū).i.in mysteriū,in sacrificiū,qd̄ Bonę deę in domo Cęsaris Cōsulis fiebat.Erat em̄ mos,vt quotānis in domo Cōsu lis Bonę Deę sacrificiū ꝓ populo Ro.fieret.De hoc incestu P.Clodii, de q; Bonę Deę sacris sępe licet legere in Orationibus Ciceronis & apud Plutarchū. In portu) vt in exiliū deportareris. Eius loci ius tenebit) id est eius loci ciuis erit.Ius enim ciuitatis tenet is demū,qui ciuis sit. Si ibi eum legibus &c.) id est si eius loci ciuis non fuerit.

[Margin notes: Incensio. — Incēdiarius — Q. Cornifi cius. — Clodii in cestus. — Opertum. — Bonæ deæ sacra. — Ius ciuita tis tenere.]

ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πάντες οἱ μωροὶ δοῦλοι, id est, Omnes sapientes liberos esse, & stultos oēs seruos.

LAudetur vero hic imperator,aut etiam appelletur,aut hoc nomine dignus putet? Quomodo? aut cui tandem hic libero imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? Refrę̄net †primū libidines,spernat voluptates,iracūdiā teneat,coerceat auaritiā,cęteras animi labes repellat: Tum incipiat aliis

[Margin note: †prius.]

imperare, cũ ipse improbissimis dominis dedecori, ac turpitudini parere desierit. Dũ quidẽ his obediet, non modo imperator, sed liber habendus omnino non erit. Præclare enim est hoc vsurpatum a doctissimis, quorum authoritate non vterer, si mihi apud aliquos agrestes hæc habenda esset oratio: Cũ vero apud prudentissimos loquar, quibus hæc inaudita nõ sunt, cur

†ego — †tergo simulem, me, si quid in his studiis operę posuerim, perdidisse? Dictũ est igitur ab eruditissimis viris,

Nisi sapiẽs liber. — Nisi sapiẽtẽ, liberũ esse neminem. Quid est enim libertas? Potestas viuẽdi, vt velis. Quis igitur viuit vt vult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui viuendi via cõsiderata, atque prouisa est: qui legibus quidẽ non propter metũ paret, sed eas sequitur, atque colit, quia id salutare maxime esse iudicat: qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat deniq;, nisi libenter ac libere: cuius omnia consilia, resq; omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur, eodẽq; feruntur? Nec est vlla res quæ plus apud eũ polleat, q̃ ipsius voluntas atq; iudiciũ. Cui quidem etiã (quę vim habere maximam dicitur) fortuna ipsa cedit, sicut sapiens poeta dixit,

†Suis cuiusq; — †Suis quisq; fingitur moribus. Soli igitur hoc contingit sapienti, vt nihil faciat inuitus, nihil dolens, nihil coactus. Quod & si ita esse pluribus verbis dis-

†breui cõfiendũ est. — ferendũ est, illud tamen† & breue & cõfitẽdũ est, Nisi qui ita sit affectus, esse liberũ neminẽ. Igitur omnes improbi serui: nec hoc tam re est, q̃ dictu inopinatum atq; mirabile. Non enim ita dicunt eos esse seruos vt mancipia, quæ sunt dominorũ facta nexũ, aut aliquo iure ciuili: sed si seruitus sit, sicut est, obediẽtia fracti

animi, & abiecti, & arbitrio carentis suo, quis neget omnes leues, omnes cupidos, omnes denique improbos esse seruos? An ille mihi liber videtur, cui mulier imperat, cui leges imponit, prescribit, iubet, vetat quod videtur? qui nihil imperati negare potest, nihil recusare audet? Si poscit, dandū est: si vocat, veniendū: si eiicit, abeūdū: si minatur, extimescēdū. Ego vero istū non modo seruū, sed nequissimū seruū, etiā si in amplissima familia natus sit, appellādū puto. Atque vt in magna familia †stultorū, sunt alii lautiores, vt sibi videntur serui, sed tamē serui Atrienses† ac tu pari stultitia sunt, quos signa, quos tabulę, quos cęlatū argētum, quos Corinthia opera, quos ædificia magnifica nimiopere delectāt. Et sumus, inquiūt, principes ciuitatis: Vos vero ne seruorū quidem vestrorum principes estis. Sed vt in familia, qui tractāt ista, qui tergunt, vngunt, qui verrunt, qui spargunt, non honestissimū locum seruitutis tenēt: Sic in ciuitate, qui se istarum rerū cupiditatibus dediderūt, ipsius ciuitatis locū pene infimū obtinēt. Magna, inquis, bella gessi, magnis imperiis, & prouinciis præfui. Gere igitur animū laude dignū. Echionis tabula te stupidū detinet, aut signū aliquod Polycleti. Mitto vnde sustuleris, quomodo habeas. Intuentē te, admirantem, clamores tollētē cū video, seruū te esse ineptiarū omniū iudico. Nonne igitur sunt illa festiua? Sint. Nam nos quoque oculos eruditos habemus. Sed obsecro te, ita venusta habeantur ista, non vt vincula virorum sint, sed vt oblectamenta puerorum. Quid enim censes? si L. Mummius aliquem istorum videret matellionem

†seruorū

Mire variant hic codices, legēdū arbitror serui Atriēses, sed tamen serui æque ac tu.

Matellio.

Corinthium cupidissime tractantem, cum ipse totam Corinthum contempsisset, vtrum illum ciuem excellentem, an atriensem seruum diligētem putaret? Reuiuiscat Manius Curius, aut eorū aliquis, quorum in villa ac domo nihil splendidū, nihil ornatū fuit præter ipsos. Et videant aliquē summis populi beneficiis vsum, barbatulos mululos exceptantem de piscina, & pertractantem, & murenarum copia gloriantem. Nonne hunc hominem ita seruum iudicet, vt ne in familia quidem dignum maiore aliquo negocio putet? An eorum seruitus dubia est, qui cupiditate peculii nullam conditionem recusant durissimæ seruitutis? Hęreditatis spes, qd iniquitatis in seruiēdo nō suscipit? Quem nutū locupletis orbi senis non obseruat? Loquitur ad voluntatem. Quicquid denunciatum sit, facit, assentatur, assidet, miratur. Quid horū est liberi? quid deniq; nisi serui non inertis? Quid iam illa cupiditas, quæ videtur esse liberalior, honoris, imperii, prouinciarū? q̄ dura est domina, q̄ imperiosa, q̄ vehemens? Cethego homini non probatissimo seruire res coegit eos, qui sibi esse amplissimi videbātur, munera mittere, noctu venire domum ad eum, precari, denique supplicare. Quæ seruitus est, si hęc libertas existimari potest? Quid cū cupiditatum dominatus excessit, & alius est dominus exortus ex conscientia peccatorū timor? Qz est illa misera, q̄ dura seruitus? Adolescētibus paulo loquacioribus est seruiendum, omnes qui aliquid scire vidētur, tāq̄ domini timentur. Iudex vero quantum habet domina tū? quo timore nocētes afficit? An non est omnis metus seruitus?

Quid valet igitur illa eloquentissimi viri L. Crassi copiosa magis q̃ sapiẽs oratio? ERipite nos ex seruitute. Quæ est ista seruitus, tam claro homini, tã q̃ nobili? Omnis enim animi debilitata, & humilis, & fracta timiditas, seruit⁹ est. NOlite sinere nos cuiq̃ seruire. In libertatẽ vindicari vult? Minime. Quid enim? adiũgit, NIsi vobis vniuersis. Dominũ mutare, non liber esse vult. QVibus & possumus, & debemus. Nos vero si quidẽ animo excelso & alto, & virtutibus exaggerato sumus, nec debemus nec possumus. Tu posse te dicito, quando quidem potes. Debere ne dixeris, quoniam nihil quisq̃ debet, nisi quod est turpe nõ reddere. Sed hæc hactenus. Ille videat quomodo Imperator esse possit, cum eũ ne liberum quidem esse, ratio & veritas ipsa conuincat.

Seruitus quid sit.

Debeatur quid.

ὅτι πάντες οἱ σοφοὶ ἐλεύθεροι, πάντες δὲ μωροὶ δοῦλοι, Id est,

Quod omnes sapientes liberi, omnes autem stulti serui.

Hoc Paradoxum Stoicorum esse testis est etiã Diogenes Laertius lib. septimo, Stoici. inquit, dicunt solum sapientem liberum esse, improbos autẽ seruos. Libertatẽ enim operãdi esse potestatẽ, qua stulti & improbi omnino careãt. Esse autem sapientes non modo liberos, sed etiã Reges. Authore Cicerone libro de Oratore tertio, Stoici dicunt omnes qui sapientes non sunt seruos esse, latrones, hostes, insanos.

LAudetur vero hic imperator) In M. Antoniũ hoc dictum videri potest. Sed potius sit cõmunis locus, vt si ne Imperator quidẽ, qui sapiẽs nõ est, liber sit, alios nõ esse liberos ostẽdat, qui sapiẽtes nõ sint. Libero) Antiquo iure Romanorũ seruis militare nõ licebat. Itaq̃ secũdo bello Punico post pugnã Cãnensem inopia liberorum hominũ octo millia iuuenũ validiorũ ex seruitiis prius emerũt & libertate donauerũt, quã armauerint, vt est apud T. Liuiũ lib. 22. Authore Martiano Iurisc. lib. Digest. 49. de re militari ab om̃i militia serui ꝓhibẽtur, alioq capite puniãtur. Imperator igitur nisi liberis non imperat, sed ne ipse quidem Imperator esse potest, nisi liber sit. Nam nemo Imperator est, qui magistratus non sit, magistratus autem solis ciuibus mandatur,

Serui ne militent.

Qui non potest cupiditatibus suis imperare) Lactantius libro diuinarũ Institutionũ primo, Herculem fuisse fortem negat, quod cupiditatibus suis imperare non potuerit. Nõ inquit, fortior iudicandus est, qui leonẽ quam qui violentã & in seipso inclusam ferã superat iracundiã: aut qui rapacissimas volucres deiicit, quã qui cupidates auidissimas coercet: aut qui Amazonẽ bellatricem, quam qui libidinem vincit, pudoris ac famę debellatricẽ: aut qui fimũ de stabulo, quã qui vitia de corde suo egerit. Quæ magis sunt perniciosa, quia domestica & propria mala sunt, quam illa quę poterãt vitari & caueri. Ex quo fit, vt ille solus vir fortis debeat iudicari, qui temperatus est & moderatus & iustus. Quod solus sapiens liber sit scribit Cicero in lib. de Finibus tertio. Quã grauis, inquit, quam magnifica, quam constans cõficitur persona sapiẽtis? Qui quũ ratio docuerit, quod honestum esset, id esse solũ bonũ, semper sit necesse est beatus. vereque omnia ista nomina possideat, quæ irrideri ab imperitis solent. Rectius enim appellabitur Rex, quam Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit. Rectius magister populi (Is enim est Dictator) q̃ Sylla qui trium pestiferorum vitiorum luxurię, auaritiæ crudelitatis magister fuit. Rectius diues, quam Crassus, qui nisi eguisset, nunq̃ Euphratẽ nulla belli causa trãsire voluisset. Recte omnia dicẽtur eius qui scit vti solus omnibus. Recte etiã pulcher appellabitur. Animi enim lineamẽta sunt pulchriora quam corporis. Recte solus liber, nec dominatiõi cuiusq̃ parẽs, nec obediẽs cupiditati. Recte inuictus, cuius etiãsi corpus cõstringatur, animo tamẽ vincula iniici nulla possint. Teneat) id est cohibeat & refrenet, ne quid per iracũdiam turpiter faciat. A doctissimis) Stoicis. Alioqui doctissimos homines appellat poetas. Vt pro Milone, Nõ sine causa fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderunt &c. Potestas viuẽdi vt velis) Eadẽ sentẽtia perscripta est in libro de Officiis primo, Vixerunt nõnulli in agris delectati re sua familiari. His idẽ ppositũ fuit, quod & regibus, vt ne qua re egerẽt, ne cui parerẽt. libertate vterẽtur, cui⁹ propriũ est, sic viuere vt velis. Viuere autẽ vt velis nõ est, vt vulgo persuasum est, viuere in lustris & ganeis sine cuiusq̃ metu: sed id honestã quandã viuẽdi rationẽ prę se fert, vt hoc loco docet Cicero. Officio) id est honesto, eo scilicet quod efficere debeat. Via) id est mod⁹. Non propter metũ) Authore Cicerone pro A. Cluẽtio, Legũ idcirco omnes serui sumus, vt liberi esse possimus. Libere) id est nulla cupiditate suadente aut cogẽte. Ab ipso) .i. ab ipsius animo, non a cupiditatibus. Quæ vim habere maximã dicitur) Fortuna est domina rerũ & externarum & ad corpus pertinentiũ, vt ait Cicero in libro Tusculanarũ quæstionũ quinto. Qui in libro de Officiis secũdo magnã, vim esse in fortuna dicit in vtrãq; partẽ, vel secũdas ad res, vel aduersas. Nã & quũ pspero flatu eius vtimur, ad optatos exitus prouehimur: & quũ reflauit, afflis

Marginal notes: Hercules an fortis. — Sapiens liber. — Libertas quæ sit. — Legib⁹ seruire. — Fortunæ vis.

gimur. De vi fortunæ quia alii multi scriptores tradiderũt, illud solum ascribamus, quod est apud Pliniũ cap. vii. lib. ii. Toto, inquit, mũdo, & locis omnibus, omnibusq; horis, omniũ vocib⁹ fortuna sola inuocatur, & vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cũ cõuiciis colitur. Volubilis a plerisq; & cæca etiã existimata, vaga, incõstãs, incerta, varia, indignorũq; fautrix. Huic õnia expẽsa, huic oĩa ferũtur accepta, & in tota ratione mortaliũ sola vtranq; paginã facit. Fortuna ipsa cedit) Nihil eni bonũ nisi virtutẽ sapiẽs existimat. virtus autẽ nullũ habet cũ fortuna cõmerciũ. quin potius virtuti fortuna cedit, igitur & sapiẽti. Id adeo verũ est, vt Metrodorus Epicureus (quoniã sine virtute beate viui posse Epicurus negabat) illa dicat apud Ciceronẽ lib. Tusculanarũ quęstionũ v. Occupaui te Fortuna, atq; cepi, omnesq; aditus tuos interclusi, vt ad me aspirare nõ posses. Sicut sapiens poeta) Hũc arbitror esse Appiũ, de quo Salustius in oratione ad C. Cæsarẽ de Rep. ordinãda, Res, inquit, docuit id verũ esse, quod in carminib⁹ Appius ait, Fabrũ esse quẽq; fortunæ. Suis quisq; fingitur moribus) non autẽ fingitur fortunæ. Nã fortunæ suæ quisq; faber est. Suam quisq; fingit fortunã. Igitur sua cuiq; præsertim sapiẽti fortuna cedit. Cõficiendũ) .i. cõcludẽdũ. Nõ enim ita dicũt eos esse seruos) Quod omnes improbi serui sint, nõ sunt serui, vt qui a dominis empti sunt. Illi eni sunt serui animo, hi autẽ serui corpore. Et quãto animus corpore excellẽtior est, tãto illorũ q̃ horũ seruitus grauior est. Facta nexu) Nexus erat quędã iuris solẽnitas, quæ in rerũ abalienatione fieri solebat. Caii iurisc. de nexu faciẽdo illa verba sunt, Est, inquit, mãcipatio imaginaria quędam vẽditẽo, qd̄ ipsum ius, ꝓpriũ est ciuiũ Romanorũ. Eaq; res ita agit. adhibitis non minus q̃ quinq; testibus ciuibus Romanis puberibus, & præterea alio eiusdẽ cõditionis, qui libram ęneã teneat, qui appellatur libripẽs. Is qui mãcipiũ accipit, æs tenẽs ita dicit, Ego hũc hominem ex iure Quiritiũ meũ esse aio. isq; mihi emptus est huius ære, æneaq; libra. Deinde ære percutit librã, idq; æs dat ei, a quo mãcipiũ accipit quasi precii loco. Nulla autẽ res lege. xii. tabularũ aliter nisi per hãc solẽnitatẽ abalienari poterat. Aut aliquo iure ciuili) Aliis enim multis modis seru⁹ habebatur, vt est apud Quintil. lib. v. Nã etiã seruus erat aut verna, aut donatus, aut testamẽto relictus, aut ex hoste captus. Si seruit⁹ est) De seruitute animi nõ corporis intelligit. Leues) .i. viles, nec vllo honore dignos. Id enim leuis authore Gellio significat. Cui mulier ĩperat) Libidinosos homĩes & mulierosos negat esse liberos, q; cupiditatis causa mulieribus seruiãt. Quẽadmodũ de Hercule scripsit Quintil. lib. iii. Q; cũ Regina Lidię Omphale vestitũ mutauerit, & imperata pẽsa tractauerit. Quod ãpli⁹ scripsit Diodor⁹ Sicul⁹ lib. v. Nequissimũ seruũ) Nequã dici quasi necq̃ extirta media syllaba, cũq; nequã esse, q nec; rei, nec; frugis

Nex⁹ quid sit.

Seruus habetur multis modis.

bonę sit est apud A.Gellium libro.vii. Etiam si in amplissima familia natus sit) id est q̄uis amplissimis & nobilissimis parentibus natus sit. In magna familia stultorum) Fortasse seruorum non stultorũ legẽdũ sit. Nam Oscorũ lingua famel seruus dicitur, vnde familia vocata est. vt author est Sex. Pompeius, q̄uis idẽ paulo ante scribat familiã antea in liberis hominibus dici solitam. Inde patrem & matrem familię postea hoc nomine famulos appellatos. Romani veteres, vt ait Macrobius libro Saturnaliũ primo, omnẽ dominis inuidiã, omnẽ seruis cõtumeliam detrahẽtes dominũ Patrẽfamilias, seruos familiares appellauerunt. In seruorũ autẽ familia aliud aliorũ officiũ est. Sed qui fideliores honoratiores lautiores erãt, hi Atrienses appellabãtur, quod in atrio dominorum diuitias, signa, tabulas, imagines maiorum custodirent, quemadmodum qui erant viliores & abiectiores mediastini dicebãtur: quod in medio stantes parati essent ad omnium imperia. Veluti in domibus nobiliũ sunt ministri, qui vulgo appellãtur famuli per cortem. Nõnullis autem ciuibus Romanis tam magnæ seruorum familiæ fuerunt, vt M.Crassus authore Plutarcho in eius vita ad quingentos seruos fabrilis artis & architecturę pitos emerit. Ac tu pari stultitia, quos signa &c) Si emendata lectio est, sententia est, Tu es simili stultitia, atq̨ sunt serui atrienses, quos signa, aliaq̨ quæ ipsi in atrio custodiunt, delectant. Cælatum argentum).i. vasa aliaq̨ opera argentea cælata. Corinthia opera).i. ex ęre Corinthio facta. Aeris Corinthii tria sunt genera authore Plinio cap.ii. libri.xxxiiii. Vnum candidum argento nitore quam proxime accedens. Alterum in quo auri fulua natura. Tertium in quo æqualis omniũ temperies, fuit. Eodem authore cap.viii. eiusdẽ libri, Si signis, quæ Corinthia vocant, plærịq̨ intantũ capiũtur, vt secũ circunferant. Sicut Hortensius Sphingem Verri reo ablatã, Nero amazonem, & paulo ante C.Cestius signum, quod secũ etiam in prælio habuit. Ex summis &c).i. nos nati ex summis ciuitatis, sumus principes id est primarii ciues. Ne seruorũ) Cõseruorũ alii legũt, vt cohęredes & cõdiscipulos dicimus. Qui tractãt ista) Hi autẽ serui mediastini sunt. Ista).i. signa tabulas & cætera, quæ in atrio asseruantur. Qui vngunt) vt magis niteant, & ne rubigo aut ærugo incõmodum afferat. Magnis imperiis) vt Præturę aut cõsulatui, aut exercitui. Actęonis) Echionis legendum est. Plinius cap.vii. lib.xxxv. Clarissimos illos pictores nominat Appellem, Echionem, Melãthum, & Nicomachum, quorum tabulas singulas opibus oppidorum venisse dicit. Eodem authore capite x. eiusdẽ libri illæ sunt Echionis picturæ nobiles, Liber pater, Semiramis ex ancilla regnum adipiscẽs, Anus lampadas præferens, & noua nupta verecundia notabilis. Aut signũ aliquod Polycleti) Polycletus Sicyonius nobilis fuit statuarius, in faciẽdis signis ære Deliaco vsus est. Mul

Atrienses serui.

Medestiani serui.

Corinthiũ æs.

Conserui.

Echion pictor.

ta eius opera Plinius cap.viii.lib.xxxiiii,enumerat.Huius signa nõnulla esse in atrio Titi imperatoris dicit,quo opere nullũ absolutius plerisq; iudicant. Sustuleris).i.iniuste acceperis. Clamores tollentẽ)Id in magnę rei alicuius admiratione fieri solet. Ineptiarum).i. rerum ineptarum,vt tabularum,signorum,aliorumq; eiusdem generis Nonne igitur &c)Hoc possit obiicere quisq̃,quẽ signa tabulæ & cætera delectẽt. Ei Cicero respondens,Sunt,inquit,Nam nos quoq; &c. Festiua).i.pulchra & iucunda,qualia sunt ea quæ festis diebus delectant. Eruditos).i.qui pulchra re,venusta,& artificiosa oblectẽtur. Non vincula virorũ sint).i.viros non faciant seruos. Si L.Mũmius) L.Mummius Consul omni Achia in deditionem accepta, Corinthum ex Senatusconsulto diruit,quia ibi legati Romanorũ violati fuerant.Signis tabulisq; vrbẽ Romã repleuit.Isq; primus tabulis externis authoritatẽ Romę fecit.Eius victoria mores populi Romani ad Corinthia & tabulas pictas incli nauit,vt L.Scipionis & Cn.Manlii ad cęlatũ argẽtũ & vestes Attalicas, vt Põpeii Magni de Mithridate ad margaritas gẽmasq;.Abstinentissimum virũ egit Mũmius in vrbe diruẽda. nihil enim ex iis opibus ornamentisq;,quę prędiues Corinthus habuit,in eius domũ peruenit:vt e vita ipse excesserit non relicturus filiæ dotem.Authores sunt Plinius cap.vii.lib.xxxiiii.cap.iiii.lib.xxxv.& cap.i.lib.xxxvii.& T.Liuius libro lii. Matellionem)Matellio,vt ait Sex.Pompeius,vas vrinę est.Authore Plinio cap.ii.libro 34. Vasa Corinthia sculptores trãsferũt modo in lucernas,modo in trullas,nullo mũditiarũ respectu.Trullã autẽ p vase stercorario accipiũt. Totã Corinthũ).i.totã Corinthi prędã.Quę tãta fuit,vt vnã Aristidis tabulam Liberũ patrẽ cõtinẽtẽ Rex Attalus a L. Mũmio sex millibus sestertiũ emerit: vt ait Plini9 ca. iiii. lib. xxxiiii. Diligẽtẽ) q̃ matellionẽ diligẽter tractaret. M.Curius)De hoc dicem9 paradoxo proximo. Videat aliquẽ)vt L.Philippũ,Q.Hortẽsiũ,Liciniũ Murenã,L.Lucullũ. Sũmis populi beneficiis vsum).i.virũ Consularẽ. Cõsulatus enim summus erat Romę magistratus,Is autẽ populi Romani suffragio mãdabatur.Id autem suffragiũ erat populi beneficiũ, quod in mãdãdo Cõsulatu summũ erat. Barbatulos mulos) Mulus piscis est marinus litoralis & gregalis,barba gemina insignitus in labro inferiori.Plinius cap.xvii.lib.ix.author est, vbi multa de hoc pisce.quem ob id Veneti barbonẽ vulgo appellant, vt Perottus ait.Nos a barba barbonem piscem vulgo appellamus, sed qui in fluminibus capiatur. Mulus marinus tanto in pretio fuit apud veteres, vt Asinius Celer vir Consularis mulum vnum septem millibus nummum mercatus sit:vt ex Samonici sententia Macrobius libro Saturnalium tertio scribit octo millibus nũmũ fuisse emptum & Asininum Celerem Claudio principe fuisse Plinius ait. Mululos aũt per diminutionẽ dixit, vel vt notaret maiorẽ virorũ Consulariũ stultitiã, vel quia hi pisces parui sunt.

L.Mũmius Corinthus euersa.

Victoria quantum noceat.

Peregrinorum mores nosse.

Matellio.

Trulla.

Cõsulatus.

Mul9piscis.

Nam Plinius hũc piscẽ esse dicit magnitudine modica, binasq; libras ponderis raro admodum exuperare, nec in viuariis piscinisq; crescere. Hos tantũ, vt inquit, septẽtrionalis & proxima occidẽtis parte gignit

Piscina.

Oceanus. Exceptãtẽ).i sępe capiẽtẽ. De piscina) Lacus & stagna, quæ piscibus viuis coercẽtur clausa, suo atq; proprio nomine piscinas nominauerũt, vt ait A.Gellius cap.xv. libri secũdi. Quod in piscinis viui pisces clausi coerceãtur, eas, etiã viuaria Plinius lib.ix. sępe appellat. Q; in viuariis piscinisq; neget Plinius mulos crescere, id illũ habet intellectũ, Mulos ex Oceano in viuaria & piscinas transferri, sed ibi non crescere.

L.Crassus.

Pertractãtẽ) manibus. Murenarũ copia gloriantẽ) L.Licini⁹ Crassus orator vir Cẽsorius murenã in piscina domus suæ mortuã atratus tãq̃ filiã luxit. Id ei Collega Cn.Domitius quũ in Senatu tãq̃ turpe obiecisset, tantũ abfuit, vt cõfiteri erubuerit, vt etiã gloriatus sit Censor piã rẽ & affectuosam fecisse. Author est Macrobius lib. Satur.3. Idẽ scribit Licinios Crassos appellatos Murenas, q; iis murenę fuerũt charissimę. Quo codẽ in loco scripsit nobilissimos illos principes L.Philippũ & Q Hortẽsiũ piscinas habuisse refertas piscib⁹ preciosissimis, itaq; hos a Cicerone piscinarios appellatos. M.Cato minor, vt idẽ scribit, hæres Lucilii fact⁹, pisces de eius piscina.xl.millibus vẽdidit. C.Cæsar Dictator, quũ triumphales cœnas populo daret, sex millia murenarũ a C.Hirrio ad põdus mutuo accepit. Nam pmutare precio alia ve merce Hirrius noluit, vt ait Plini⁹ cap.lv. libri.ix. Eodẽ in loco scribit Hortẽsiũ Murenã ita dilexisse, vt exanimatã flesse credatur. Maiore aliquo negocio) q̃ vt pisces pertractet: aut maiore.i. multũ magno. An eorũ seruitus dubia est).i. an dubiũ sit eos esse seruos. Cupiditate peculii) Peculiũ a Tuberone definitur, vt sit qđ seruus domini permissu separatũ a rationib⁹ dominicis habet, deducto inde si quid domino debetur. Dictũ est aũt peculiũ quasi pusilla pecunia, siue patrimoniũ pusillum. Author est Vlpianus libro Digestorũ.15. De peculio Sex.Põpeius, Peculiũ seruorũ a pecore dictũ, vt pecuniã Patrũfamilię aut nobiliũ. De peculio Valla lib.6. plura scribit, vbi locũ hũc citat. Hęreditatis spes) Seius est, Sperãs hęreditatẽ alicui⁹, vt eius animũ alliciat, ei q̃ inique inseruit. Erat autem apud Romanos veteres testamẽtorũ libertas: Alienũ em̃ vt propinquũ hęredẽ facere licebat. Quid iniquitatis) Authore Cicerone libro de Rep.3. vt est apud

Peculium quid sit.

Seruitus ministri.

No.Marcellũ, Iniustę seruitutis genus est, quum hi sunt alterius, qui sui possunt esse. Locupletis) vt maiorẽ habeat hęreditatẽ. Orbi).i. liberos nullos habẽtis, vt facilius hęres fiat. Senis) vt hęres fiat citius.

Ambitio misera.

Quid iã illa cupiditas) Ambitiosos seruos esse probat, q; cupiditati seruiãt. Miserrima est omnino ambitio, honorũq; cõtẽtio, vt ait Cicero libro de Officiis.1. Authore M.Varrone, vt est apud No.Marcellũ, tanta inuasit cupiditas honorũ plerisq;, vt vel cęlũ ruere, dũmodo magistra-

tum adipiscatur exoptent. Quæ videtur esse liberior) Magistratus esti quod aliis imperent, videtur liberiores. Honoris).i.magistratus. Imperii).i.vt sis Prętor, aut Cõsul,& prouinciã sorte obtineas. Cethego homini nõ probatissimo) Haud scio an Cethegus sit is, quis postea Catilinę socius fuerit, de quo in carcere sumptũ suppliciũ sit. Huius tamen vita obscœna, libidinũ ac flagitiorum plena erat. Nihilomin⁹ ciuitatis Romanæ princeps videbatur, nec Senatus quicq̃ cẽsebat, aut populus iubebat, nisi quod Cethego placuisset. Is insignẽ meretricẽ Romę familiariter colebat nomine Preciã, quę & formę vt venustate, & sermõis comitate reliquas omnes longe pręstabat. Itaq; multos nobiles ex Romana iuuẽtute sibi amores deuinxerat. Qua ex causa quæ in Rep. gerebãtur, cognoscebat, ciuiũ discordias cõponebat, amicitias cõfirmabat. Accedẽte Cethego amatore maior hui⁹ in Rep. fuit potẽtia. Nec quicq̃ Cethego probabat, nisi q̄ Precia iussisset. Octauius, q Ciliciã prouinciã administrabat, id tẽporis mortuus est. L. Lucullus Cõsul nimiũ gloriæ cupidus Mithridaticũ bellũ decerni sibi maxime cupiebat: id se assecuturũ sperabat, si Ciliciã Cappadocię proximã obtineret. Itaq; Preciã tũ donis, tũ blãditiis sibi deuinxit, eiusq; beneficio id assecutus est, vt Cethegi suffragio Ciliciã obtinuerit. Hoc licet fusius legere apud Plutarchũ in vita Luculli. Res).i. prouincię & glorię cupiditas. Lucullũ Cethego seruisse hic Cicero dicit, quẽ seruisse Precię, apud Plutarchũ est. Qui sibi esse amplissimi videbãtur).i. L. Lucullũ Cos. Cõsulatus enim amplissimus magistratus erat. Plurali autẽ pro singulari vsus est, vt sit intellectio. Quę seruitus est) Argumentũ a cõtrario est. Quũ cupiditatũ dominatus excessit).i. quũ quis pecuniã aut imperiũ nõ cupit amplius, sed adeptus est iniuste. Paulo loquacioribus) qui cõsilia fidei suæ credita celare nõ possunt. Quę enim nonũt, aut metu, aut leuitate facile effutiũt. Aut qa adolescẽtes ex magnorũ virorũ accusatione probitatis & eloquẽtię laudẽ capessere solebãt, vt est in lib. de Off. ii. in qua sentẽtia locum hũc intelligi Valla lib. vi. author est. Paulo loquacioribus) Adolescentes enim ex schola prodeũtes in accusando senibus in foro iãdiu versatis loquaciores erãt. Est seruiendũ) Nã vt ait Iuuenalis Saty. iii. Quis nũc diligitur, nisi cõscius, & cui ferues, Aestuat occultis animus, sempq; tacendis: Nil tibi se debere putat, nil cõferet vnq̃, Participẽ qui te secreti fecit honesti. Char⁹ erit Verri, qui Verrẽ tempore quo vult Accusare potest. Qui videtur aliquid (scire) a nobis factũ esse turpiter. f. Quid valet igit &c.) Quantũ conijcere licet hęc L. Crassi verba sunt ex quãdã cõcione ad populũ Ro. qua dissuasit ne Cinna, Marius, Carbo, & Sertorius cum patria bellũ gerentes, in vrbẽ reciperentur. In ea autẽ cõcione illa verba fuerũt, Eripite nos e seruitute, nolite sinere nos cuiq̃ seruire, nisi vobis vniuersis, quibus possumus & debemus. Is autẽ est L. Crassus orator, de quo sæpe Cicero, & T. Liuius libro. lxxx. meminerũt. In

Cethegus.

Precia, Meretricis potentia.

L. Luculus

Adolescentes loquaciores.

libertatem vindicari).i.e seruitute eripi. Nisi vobis vniuersis).i.vniuerso populo Ro.ad quem hęc oratio habebatur. Exaggerato).i.cumulato. Stoici enim virtutes ita inter se cōnexas esse dicebãt, vt nemo vnã habere posset,quin haberet reliquas. Non reddere).i.non soluere. Ille videat)M. Antonius, de quo in principio huius paradoxi intelligere videbatur.

ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος, id est,

Quod solus sapiens diues sit.

QVæ est ista in cōmemoranda pecunia tua tã insolẽs ostẽtatio? solus tu ne diues? Pro dii immortales, ego ne me audiuisse aliquid, & didicisse non gaudeã? Solus ne tu diues? Quid si ne diues quidẽ? qd si pauper etiam? Quem enim intelligimus diuitẽ, aut hoc verbum,in quo homine ponimus? Opinor in eo, cui tanta possessio est, vt ad liberaliter viuendũ facile cōtentus sit, qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Animus enim tuus oportet se iudicet diuitẽ, non hominũ sermo, neq; possessiones tuæ. Qui nihil sibi deesse putat, nihil curat amplius, satiatus est, aut cōtentus etiam pecunia, cōcedo, diues est. Sin autẽ propter auiditatẽ pecunię nullum quæstum turpem putas, cum isti ordini ne honestus quidẽ possit esse vllus, si quotidie fraudas, decipis, poscis, paciscer is, aufers, eripis, si socios spolias, ęrariũ expilas, si testamẽta amicorũ expectas, aut ne expectas quidẽ, atq; ipse supponis, hæc quidẽ vtrum abundãtis, an egẽtis signa sunt? Animus hominis diues non arca appellari solet. Quãuis illa sit plena, dum te inanem videbo, diuitẽ non putabo. Etenim ex eo, quãtum cuiq; satis est, metiũtur homines diuitiarũ modum. Filiam quis habet, pecunia est opus: duas, maiore: plures, maiore etiam. Si (vt aiũt) Danai quinquaginta sunt filię, tot

dotes magnā quęrunt pecuniā. Quantum enim cuiq; † opus est, ad id accōmodatur, vt ante dixi diuitiarū modus. Qui igitur non filias plures, sed innumerabiles cupiditates habet, quę breui tēpore maximas copias exhaurire possint, hunc quomodo ego appellabo diuitem, cum ipse egere se sentiat? Multi ex te audierunt, cum diceres neminē esse diuitē, nisi qui exercitū alere posset suis fructibus, quod populus Romanus ex tantis vectigalibus iam pridem vix potest. Igitur hoc proposito nunq̄ eris diues, anteq̄ tibi ex tuis possessionib⁹ tantū reficiatur, vt ex eo tueri sex legiones, & magna equitū ac peditū auxilia possis. Iam fateris igitur non esse te diuitē, cui tantū desit, vt expleas id qđ exoptas. Itaq; istā paupertatē, vel poti⁹ egestatē, ac mendicitatē tuā nunq̄ obscure tulisti. Nā vt is qui honeste rem quęrunt, mercaturis faciēdis, operis dandis, publicis sumendis, intelligimus opus esse quæsito: sic qui videt domi tuæ pariter accusatorū atq; iudicum consociatos greges, qui nocētes & pecuniosos reos, eodem te autore corruptelā iudicii molientes, qui tuas mercedum pactiones in patrociniis intercisas, pecuniarū in concionibus candidatorū, dimissiones q; libertorū ad fœnerādas diripiēdas q; prouincias, qui expulsiones vicinorū, qui latrocinia in agris, qui cum seruis, cum libertis, cum cliētib⁹ societates, qui possessiones vacuas, q proscriptiones locupletū, qui cędes municipiorū, qui illā Syllani tēporis messem recordetur, qui testamēta subiecta, q sublatos tot hoīes, q deniq; oīa vęnalia, delectū, decretū, alienā, suā sententiā, forum, domū, vocem, silentiū, quis hunc

† satis.

Quem diuitem appellabat Crassus.

non putet cõfiteri, sibi quęsito opus esse? Cui quęsito autē opus sit, quis vnq̄ hunc vere dixerit diuitem? Est enim diuitiarũ fructus in copia. Copiã autē declarat satietas rerũ atq; abundãtia, quam tu (quoniã nunq̄ assequere) nunq̄ omnino es futurus diues. Meam autem quoniã pecuniam contemnis, & recte (Est enim ad vulgi opinionē mediocris, ad tuam nulla, ad meã modica) de me silebo, de te loquar. Si censenda nobis sit, atq; æstimãda res est, vtrum tandem pluris ęstimabimus pecuniã Pyrrhi, quã Fabricio dabat, an continētiam Fabricii, qui illam pecuniã repudiabat? Vtrũ aurum Samnitum, an responsum M. Curii? hæreditatem L. Pauli, an liberalitatem Africani? qui eius hæreditatis Q. Maximo fratri partē suam cõcessit. Hæc profecto quæ sunt summarũ virtutum potiora, pluris æstimanda sunt q̄ illa, quæ sunt pecuniæ membra. Quis igitur, si quidem vt quisq; quod plurimi sit, possideat, ita ditissimus habēdus sit, dubitet, quin in virtute diuitiæ sint? quoniã nulla possessio, nulla vis auri, & argenti, pluris q̄ virtus æstimãda est. O dii immortales, non intelligũt homines, q̄ magnũ vectigal sit parsimonia. Venio enim iam ad sumptuosos, relinquo istum quæstuosum. Capit ille ex suis prædiis sexcenta sestertia, ego centena ex meis: illi aurata tecta in villis, & sola marmorea: ea facienti, & signa, tabulas, supellectilem & vestem infinite concupiscenti, non modo ad fructum ille est sumptus, sed etiam ad fœnus exiguus. Ex meo tenui vectigali, detractis sumptibus cupiditatis aliquid etiam redũdabit. Vter igitur est ditior, cui deest, an cui superat? qui eget, an

qui abundat? cuius possessio quo est maior, eo plus re quirit ad se tuedã, an quæ suis se viribus sustinet? Sed quid ego de me loquor, qui morũ ac temporũ vitio aliquantũ etiã ipse fortasse in huius seculi errore versor? M. Manilius patrũ nostrorũ memoria (ne semper Curios, & Lucinos loquamur) pauper tandem fuit: habuit enim ędiculas in Carinis, & fundũ in †Licopo. Nos igitur ditiores sumus, qui plura habemus? Vtinam quidẽ essemus. Sed non ęstimatione census, verũ victu atq; cultu terminatur pecunię modus. Non esse cupidũ pecunię, non esse emacẽ, vectigal est. Contẽtũ vero suis rebus esse, maximę sunt, certissimæq; diuitiæ. Etenim si isti callidi rerũ æstimatores, prata & areas quasdam magno ęstimãt, q; ei generi possessionum minime quasi noceri potest: quãti est æstimanda virtus, quę nec eripi, nec surripi potest vnq̃, neq; naufragio, neq; incendio amittitur? Qua prędıti qui sunt, soli sunt diuites. Soli enim possident res, & fructuosas & sempiternas, soliq; (quod est proprium diuitiarum) cõtenti sunt rebus suis. Satis esse putant quod est, nihil appetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirũt. Improbi autẽ & auari, quoniã incertas, atq; in casu positas possessiones habẽt, & plus semper appetunt: nec eorũ quisq̃ adhuc inuentus est, cui quod haberet esset satis, nõ modo nõ copiosi ac diuites, sed etiam inopes ac pauperes existimãdi sunt.

Aliter Lacbicano.

ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος, id est

Quod solus sapiens diues.

Sapiẽs sol' est diues.

Hoc quoq; paradoxũ Socraticũ est. Socrates enĩ apud Platonẽ in Phędro deos orat vt sapientẽ solum diuitem existimet. Idem rogatus an quisq̃ Crœso, qui regũ omniũ opulẽtissimus erat, beatior esset, nescire se quantũ haberet virtutis respõdit. Significabat enĩ ne diuitẽ quidẽ eũ esse, nisi

sapiẽs esset. Authore Valerio Maximo lib. vii. de sapiẽter dictis & factis, Gyges regno Lydiæ armis & diuitiis abũdantissimo inflatus Apollinẽ Pythiũ sciscitatũ venit, an quisq̃ mortaliũ se esset felicior. Deus ex abdito sacrarii specu voce missa Aglaũ Psophidiũ ei prætulit. Is erat Arcadũ pauperrimus, sed ætate iã senior terminos agelli sui nũq̃ excesserat, paruuli ruris fructibus ac voluptatibus cõtentus. In hoc autẽ paradoxo primũ Cicero probat eũ esse diuitẽ, nõ qui multa possideat, sed qui suis rebus cõtentus sit: Deinde eum vere diuitẽ esse, qui virtutẽ habeat.

M. Crassus diues an fuerit.

Quæ est ista) Ad M. Crassum diuitẽ verba dirigit. Illud paradoxũ sapientẽ esse diuitẽ Crassus ita deflectebat, vt diceret eũ qui diues esset, sapientẽ esse. Q uũ igitur Stoicos placere sibi diceret, q̃ bonũ virũ sapiẽtẽ, diuitẽ esse ostẽderet, Vide, inq̃t Cic. ne illud magis ostenderent, omnia in sapiente sita esse. Crasso eñ auaritiæ macula inusta erat. Author est Plutarchus in vita Ciceronis. Cicerone authore in libro de Finibus tertio, vt ante diximus, rectius sapiẽs appellabitur diues q̃ Crassus, qui nisi eguisset, nunq̃ Euphratẽ nulla belli caussa transire voluisset. Ad hunc Crassum pertinere possit illud, quod multo ante scripserat Cato de liberis educãdis, vt est apud No. Marcellũ. Perspicuũ est maiorẽ curam habere nos marsupii, q̃ vitæ nostræ. Tam insolens ostentatio) Solent qui diuites sunt & gloriosi diuitias suas ostentare. Memorabile est illud Valerii Max. lib. iiii. de paupertate, Cornelia, inquit Gracchorum mater, quum Campana matrona apud illam hospita ornamenta sua pulcherrima seculi illius ostenderet, taxat eam sermone, quousq; schola redirẽt liberi. Et hęc, inquit, ornamẽta mea sunt. Omia nimirum habet, vt idem ibidem dicit, qui nihil cõcupiscit, eo quidem certius, q̃ qui cuncta possidet. quia dominiũ rerũ collabi solet, bonæ mẽtis vsurpatio nullũ tristioris fortunę recipit incursum. Audisse) a pręceptorib⁹ & p̃cipue Stoicis. Stoicũ Diodorũ Cicero audiuit. Isq; in domo Ciceronis mortu⁹ est, vbi habitauit & vixit: vt ait idẽ Cicero de claris Oratorib⁹. Liberaliter) .i. honeste, & sine cuiusq̃ iniuria. Itaq; nihil q̃rat nihil appetat, nihil optet ampli⁹. Hoim sermo) .i. fama hoim de te. Nullũ quęstũ turpẽ putas) M. Crassus virtutes, quas habuit plurimas, vnius auaritiæ sordibus obscurauit. Hoc eñ p̃cipuũ in ipso vitium cætera q̃ in ipso fuerũt, lõge superauit. Hui⁹ rei clarissimũ testimoniũ prębet magnitudo diuitiarũ, quas breui admodũ tempore sibi cõparauit. Author est Plutarchus in principio vitæ M. Crassi, vbi ascribit q̃ iniuste tantas diuitias cõparauerit. Isti ordini) Senatorio ex quo tu es. Authore T. Liuio libro. xxii. Q. Claudius Tribunus plebis legem tulit, ne quis Senator, quive Senatoris pater fuisset, maritimam nauem, quę plusq̃ trecentarum amphorarum esset, haberet. Id satis habitum ad fructus ex agris vectandos. His verbis significat mercaturam omnemq; alium quæstum Senatori turpem esse. Pacisceris) iniuste scilicet.

Cicero audiuit Diodorum.

Crassi auaritia.

Senator ne sit mercator.

Socios) populi Ro. aut tuos,quibuscũ societatẽ coisti. Aerariũ expilas) M.Crassum suo & Põpeii Cõsulatu tertio rapuisse duo millia põdo auri e Capitolini Iouis solio,a Camillo ibi cõdita,Plinius anthor est cap.1.libri,33.Vt ne ærario quidẽ abstinuisse credas, qui tali sacrilegio se obstrinxerit. Si testamenta amicorũ expectas quidẽ,atq; ipse supponis) In codice antiquo melius scriptũ mihi videtur ad hũc modum.,Si testamẽta amicorũ expectas, atq; te ipse supponis. Apud Vallã libro.6. ita lego,Si testamẽta amicorũ expectas,ac ne expectas quidẽ,atq; ipse supponis.Hęc lectio mihi videretur melior,si loco atq; sed scriberetur. Supponere est falsum & adulterinũ loco veri subiicere:vt quũ qs matri sublato filio,eius loco aliũ,vt ita dicã,reponit, partũ supponere dicit. Inde supponere testamentũ,est falsum pro vero subiicere. Et supposita persona,quũ quis aliũ se esse simulãs, eius nomine testamentũ.aliud ve quid facit: vt apud Ciceronẽ pro A.Cluentio Aiulius Asiniũ se esse simulãs,eius nomine testamẽtũ fecit.De eo illud eiusdẽ Ciceronis in eadẽ Oratione,Dũ vero eũ fuisse Oppianicũ cõstabit q tabulas publicas municipii sui corrupisse iudicatus sit,qui testamẽtũ interleuerit,qui supposita persona falsum testamẽtũ obsignãdũ curarit.Virgilius in lib.Aen.6. de Pasiphae in tauro ligneo inclusa,quã pro vacca taurus iniuit, Suppostaq; furto Pasiphae. Quũ testamẽtorũ libertas esset,multorũ amicorũ hęres M. Crassus factus est.Multis item testamẽtis hęres suppositus est,vt author Cicero est libro de Off.3. L.Minutii Basilii locupletis hominis falsum testamentũ quidã e Gręcia Romã attulerũt. qd quo facilius obtinerẽt,scripserũt hęredes secũ M.Crassum & Q. Hortẽsiũ ætatis eiusdẽ homines potẽtissimos.Qui quũ illud falsum suspicarẽtur,sibi autem nullius essent cõscii culpę,alieni facinoris munusculũ nõ repudiauerũt.

Supponere quid.

Inanẽ).i.vacuũ,nõ plenũ,nõ satiatũ. Sat est)ad tuẽdã rẽ familiarem. Opus est eñ maiore pecunia,qui duas plures ve filias habet, q̃ qui nullã.Si habeat quãtũ satis est ad earũ dotẽ,sitq; cõtẽtus,diues est. Vt aiũt) id est vt in fabulis est.Danao Beli filio quinquaginta filię,eiusq; fratri Aegypto filii totidẽ fuisse dicũtur. Quę breui tẽpore maximas copias &c.) Luxuria,ebriositas,ambitio,largitio,quã prodigalitatẽ appellant, diuitias maximas breui tẽpore exhaurire possunt. Nemineẽsse diuitẽ) In eãdẽ sententiã illud Ciceronis ex libro de Officiis primo est,Nuper M. Crassus negabat vllã satis magnã pecuniã esse ei qui in Rep.princeps vellet esse,cuius fructibus exercitũ alere nõ posset.Hoc dictũ Crassi Plutarchus in eius vita memorãs,Bellicorũ,inquit,sumptuũ nullus est modus,nulla mẽsura bellũ nutritur. vt inqt Archidamus. Authore Plinio cap.10. libri.33.M.Crassus in agris suis sestertiũ.xx.millia possedit.Quintiũ post Syllã ditissimus.Nec fuit satis,nisi totũ Parthorũ esurisset aurũ.

Danai filię.

Crassi dictũ de diuite.

Quod).i.alere exercitũ suis fructibus. Reficiatur).i.cõficiatur tãtum pecunię. Tueri).i.vt vulgo dicũt,intertenere , vt tueri domũ,famı..ã,

aliaq; generis eiusdē dicimus. Tueri sex legiones) Plinius in eo loco cuius nuper mentionē feci Crassum dicit negasse diuitē nisi qui reditu annuo legionē tueri posset. Si locus hic emēdat⁹ est, significat Cicero in Romano exercitu sex legiones esse solitas. Verū apud T. Liuiū sæpe inuenire licet legiones quatuor fuisse in exercitu cōsulari. vt libr. viii. T. Manlius in bello Latino, legiones quatuor: Libro. xxi. T. Sempronio Longo duæ, & P. Cornelio Scipioni totidē datę sunt, quū hi ad sustinēda Annibalis aduētū mitterētur. Libro. 22. quū Q. Fabius Dictator cū Minutio partit⁹ exercitū est, ei legiones duæ, & Minutio totidē obuenerūt. Eo tēpore legio habebat quatuor millia peditū, & trecentos equites, eosq; oēs ciues Ro. postea C. Marius adiecit duo millia & ducētos pedites. Scribit Vegetius in libro secūdo se in omnibus authorib⁹ inuenisse singulos Cōsules aduersus hostes copiosissimos nō amplius q̄ binas legiones additis auxiliis sociorū duxisse. Idē paulo ante scribit auxilia a sociis, vel fœderatis gētibus mitti solita. Auxilia autē pro auxiliaribus militibus, vt ministeria & seruitia pro ministris & seruis dici sępe inuenias. Vel potius egestatē) Correctio est. Paupertas nōnūq̄ honesta est, egestas vero semper turpis. Apud Virgiliū libro. Aen. 6. Turpis egestas in vestibulo inferorū habitat. Nūq̄ obscure). i. semper palā. vt iis qui honeste rē quęrūt. A cōtrario arguit. Rem quęrūt). i. diuitias acqrūt. Mercaturis faciēdis). i. mercaturas faciēdo intelligimus opus esse quęsito. Mercaturas facere dicit pro eo qd vulgo dicunt mercaturā exercere. vt Actione in Verrē. 7. Alios qui a prędonibus erāt capti, quū mercaturas facerēt, vt aliquā ob causam nauigarēt, sua volūtate cū piratis fuisse arguebat. Operis dādis). i. operas suas locādo. Publicis sumendis). i. conducēdo, vectigalia populi Ro. vt faciebāt Publicani, quos honestissimos homines atq; ornatissimos Cicero appellat pro lege Manilia. Nocentes & pecuniosos) Vtrūq; valet ad iudiciū corruptelā. Nā qui innocēs est Iudices nō vult corrūpere: qui pecuniosus nō est, nō potest. Vtrūq; expressit Cicero Actione in Verrē secūda, Inueterauit, inquit, iam opinio perniciosa Reip. vobisq; periculosa, quę non modo Romæ, sed & apud exteras nationes omniū sermone percrebuit, his iudiciis, quę nūc sunt, pecuniosum hominē, quāuis sit nocēs, neminē posse damnari. Corruptelā) Id vsitate dixit: Corruptio autē vix Latine dicat. vt libro de Legibus. 1. Tātā autē esse corruptelā malę cōsuetudinis, vt ab ea tāq; igniculi extinguantur a natura dati. Qui tuas mercedū pactiones in patrociniis) M. Crassus orator fuit, multorū causas etiā cū Cicerone defendit vt L. Murenę, & L. Cornelii Balbi. Idē Crassus improborū hominū patrocinia suscipere solebat, vt ait Sallustius in Catilina. Lege aūt Cintia pœna statuebatur aduersus eosqui precio causas orauissent, vt scripsimus in Cōmētariis in Catonē Maiorē Ciceronis. Intercisas). i. interpositas, aut definitas. Pecuniarū) pactiones scilicet. In concionibus

Legiones quot in exercitu.

Legio quid sit.

Mercaturā facere.

Corruptela

candidatorũ) Quæ sint illæ candidatorũ cõciones legere non memini. Dimissiones libertorũ).i.q̃ libertos tuos dimiseris.i.in diuersas prouincias miseris. Ad fœnerãdas diripiẽdasq; prouincias) Fœnerari prouinciã noue dictũ est,quis fœnerari pecuniã & beneficiũ alibi dicat Cicero.Vt Actione in Verrẽ.4.Idẽ p̃terea pecunias istius extraordinarias grãdes suo nomine fœnerabatur.Et in libro de Amicitia,Neq; eñ beneficiũ fœneramur,sed natura propẽsi ad liberalitatẽ sumus. Societates) De societatib⁹ iis q̃ in negociationib⁹ coiri soleãt est in lib. Institutionũ Iustiniani tertio. Possessiones vacuas)vnde eiecti domini sunt,p̃cipue in furiosa illa & inhumana Syllę proscriptione. Proscriptiones locupletũ) Quũ Sylla victor proscriberet eos,qui Marianas partes secuti fuerãt,multos ex locupletibus simul proscripsit,vt eorũ bona publicarenť. Q.Aurelius nullis se negociis implicãs,forũ ingressus proscriptorũ nomina legebat,in q̃bus quũ se ipsum cõperisset,Albana,inquit,villa me proscripsit.Paululũ p̃gressus iugulatus est. Author est Plutarchus in vita Syllę. Qui cędes municipiorũ) Nõ Romanos solũ p̃scripsit Sylla, sed etiã in municipia colonias,prę̃fecturas Italię sęuiit,quę aduersas partes adiuuerãt.Aliorũ eñ oppidorũ arces demoliebať,aliorũ muros euertebat,aliis publicã multã imponebat,alia tributis grauioribus opprimebat,vt author est Appian⁹ libro de bellis Ciuilib⁹.1. Aut cędes municipiorũ.i,municipũ,vt sit intellectio. Qui illã Syllani tẽporis messem recordetur)Quũ Sylla ciuiũ Romanorũ bona vẽdẽs suã se prædã vẽdere diceret,M.Crassus ex iis p̃multa paruo emit.Quũ idẽ Sylla magnã vrbis partẽ incẽdio vastasset,areas multas.earũ domini partim egestate cõpulsi,p̃tim nihil audẽtes petẽti negare Crasso vẽdiderũt exiguo precio.Qua ratione magnã vrbis p̃tẽ emit.Seruos ad quingentos emit fabrilis artis & architecturę peritos,q̃bus ad domos in areis vacuis ędificãdas vteretur.quorũ operas locabat iis qui a se areas emerãt. Hac ratione grãdem pecuniã sibi cõparauit. Amplius hęc Plutarchus in vita Crassi. Messem) Metaphora est ad augẽdã inuidiã.Vt eñ segetes secantur in messe,ita in Syllæ proscriptione ciuiũ colla secabãtur. Subiecta) id est supposita & falsa. Sublatos).i.interfectos. Delectũ) militũ scilicet. Decretũ) Senatus. Est eñ ad vulgi opinionẽ mediocris)Ciceroni multas fuisse diuitias,sed eas iniuste partas obiecit Sallustius. Eius adu maledicta Cicero respondens amicorũ testamẽtis se factũ dicit locupletiorẽ. Pecuniã Pyrrhi) Pyrrhus quũ in Italia bellũ gereret cũ Romanis,Legatũ Cyneã Romã misit. Is vbi rediit, Fabritii apud Romanos dignitatẽ esse maximã,vt viri boni,bellatoris egregii, sed vehementer pauperis Pyrrho retulit.Fabritio postea misso ad Pyrrhũ Legato de captiuis redimẽdis Pyrrhus ipse seorsum blãditus,vt a se pecuniã acciperet,hortabatur,non ob turpẽ aliquã causam,sed vt amicitiæ atq; hospitalitatis monimentũ esset.Eã Fabritius prorsus renuit,vt ait Plutar

Fœnerari prouinciã.

Proscriptio Syllæ.

Q.Aureli⁹.

Ciceronis diuitiæ.

Fabritii laus.

Non modo ad fructū)Sentētia est,Ille sumptus sexcētū sestertiū,qui in tectis auratis,solis marmoreis,aliisq; rebus insumit,exiguus est & ad victū,& ad fœnus,vnde lucrū pcipi possit.i.tāti redit⁹ pui sunt homini sūptuoso.Ex meo tenui vectigali)Nā etiā priuata vectigalia sūt.Detractis sumptib⁹ cupiditatis)Nullos eñ sūptus facio,ad quos vlla impellat cupiditas. Aliqd etiā redūdabit)Itaq; exiguū nō est ad fructū & ad fœnus. Ad se tuendā).i.vt vulgo dicūt,ad se intertenēdū.In ea re tueri a Cicerone sæpe dici inuenias. Huius seculi).i.huius tēporis,quo diuitiæ a bonis quoq; expetūt. M.Māilius)is est q cū Africano minore, Lælio, Philo,Scęuola aliisq; disputat de Rep. in libris quos de Repub. Cicero cōscripsit,qui tēporū iniuria nō extāt. Licinios)Lucinos legi oportet. C.enim Lucinus Fabritius appellatus est.Ab aliis tñ Luscinus,ab aliis Lucinius appellatur. In Carinis)Carinę vic⁹ erat vrbis Romę. In Labicano)Labicanū nō Lauicanū dici scripsi pro Cn. Planco. a Labico vetusto oppido, quod prope Tusculū fuit,non procul ab vrbe Roma Labicanū dictū est.Idq; pro prędio Labicano,vt Tusculanū,Pōpeianū,Formianū,aliaq; eiusdē generis.Quid si in Vaticano,nō in Labicano legas. Agrū enim Vaticanū Romę proximū fuisse accepimus.Cuius de appellatione est apud A.Gelliū lib.xvi. Cēsus).i.diuitiarū: vt apud Iuuenalē Satyra.xiiii.Misera est magni custodia census.In hac re cēsus sępe dicitur. Census adiectiuū pro diuite & pecunioso dicitur: vt in lege Voconia,Ne quis homo census vnicam habēs filiam eā hæredē relinqueret. Tueri. M.Manili⁹. Census.

Victu atque cultu) id est quū ad victū & cultum satis est. Modus).i. mensura. Emacem) eorū quæ ad cultū,victū,& sumptū pertinēt. Quū enim hęc domi habentur,magnū vectigal est.Emax autē qui solet emere,vt vendax qui solet vendere dicitur.M.Cato de re Rustica, Patrēfamilias vendacē non emacem esse oportet.Inde emacitatem Columella dixit libro quarto,Quosdā emacitas in armentis,quosdā exercet in cōparandis mancipiis.Hæc autem vocabula in ax, habitum quendam significāt,cuiusmodi sunt audax,edax,vorax,bibax,furax. Callidi).i. sagaces,experiētes & prudentes. Prata) Prata magno ab antiquis ęstimata fuere,quib⁹ nōnulli in bonis dāt primatū, itaq; antiqui ea parata appellauerūt,vt ait M.Varro libro de re Rustica.i. Eorū facillima agricolis cura ac minimi impendii est,vt ait Plinius cap.28.libri octauidecimi,Itaq; M.Cato Maior interrogatus quis esset certissimus quæstus, respōdit, Si bene pascat.i. si bona prata paterfamilias habeat. Areas quasdā)Authore Sex Pōpeio,area proprie dicit̃ locus vacuus.i.sine ędificio,quasi exaruerit. & nō possit quicq̃ regenerare. Hmōi areæ in qbus ædificaretur aptæ erant.Et nonnullę magno vendebātur. Vt authore Plutarcho M.Crassus post L.Syllę crudelitatē areę spatiū ad ædificādū vnicuiq; p arbitrio suo vēdebat.C.Cęsar,vt in ei⁹ vita scribit Suetoni⁹, Emax. Vendax. Emacitas. Parta Area.

forum de manubiis inchoauit, cuius areæ super sestertiū millies constitit. Ab huius areæ similitudine area appellata est vbi frumenta secta terantur & arescant. Ea qua ratione fieri solita sit, M. Cato, & M. Varro libro de re Rustica primo, & libro secūdo scripserunt. Huiusmodi areas locari solitas, indeq; magnū quęstū fieri Calepinus dicit, ex quibus locum hūc intelligendū putat. Huiusmodi areas quidā lapidibus muniebant, quidā etiā tegebant. Magni æstimant) Quāuis ita in omnibus exemplis, quæ in manus peruenerint, legā, magno tamen nō magni legēdū putem. vt apud Virgiliū, Magno mercentur Atridæ. Paruo enim & magno adiungi solent cum verbis emere, vendere, æstimare, aliudve quid huiusmodi significātibus. Minime quasi noceri potest. Columella lib. secūdo, Necessarius, inquit, cultus prati est, cui veteres Romani primas in agricolatione tribuerunt. Nomen quoq; indiderunt ab eo, quod protinus esset paratum, nec magnū laborem desideraret. M. quidē Porcius & illa commemorauit, quod nec tēpestatibus affligeretur, vt aliæ partes ruris, minimiq; sumptus egens per omnes annos præberet reditū, neq; eum simplicem, quū etiā in pabulo nō minus prębēret, q̄ in fœno. Appetunt) sine ratione.

Pratū vnde dictū.

FINIS

Sub prelo Ascensiano ad Nonas Martias ante pascha
1532

